

1
2
3
4
5.
6.
7.
8.
9.
10
11.



4.

1674/12

Q. B. V.
DISSERTATIO

Ad

L. unic. C. de mutat. nom.

quam

Divinâ adspirante gratiâ

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSVLTISSIMO,

& Excellentissimo,

DN. GERARDO von Stöcken /

U. J. D. ac Institut. Imperial. Prof. P.

Patrono & Præceptore suo singulari observantiæ cultu
æternum prosequendo,

defendet

FRANC. RUDOLPH. BALBACH, Durlac.

Aut. & Resp.

Add. Martij hor. locoq. solitis.

ARGENTORATI,

Typis Johann. Wilhelmi Tidemanni, ANNO clc lcc LXXIV.



1655



SERENISSIMO
PRINCIPI,
DOMINO
FRIDERICO,
MARCHIONI
BADENSI ET HOCHBER-
GENSI, LANDGRAVIO IN SAUSENBERG,
COMITI IN SPANHEIM, ET EBERSTEIN, DYNA-
STÆ IN ROETELN, BADENWEILER,
LAHR, ET MAHLBERG, &c. &c.

Domino suo Clementissimo,
câ, quâ par est, humilimâ devotione, hoc quaecunq;
Exercitium Academicum offert,

SERENITATIS SUÆ

subditus
obsequentissimus,
Er. Rud. Balbach,
Durlac.

DISSERTATIO

Adl. un.

C. de mutat. nom.

Impp. Diocletianus & Maximianus

AA. & CC. Juliano.

Sicut in initio nominis, cognominis, prænominis recognoscendi singulos impositio libera est privatis: ita eorum mutatio innocentibus periculosa non est. Mutare itaque nomen vel prænomen sive cognomen sine aliquâ fraude, licito jure, si liber es, secundum ea, quæ sæpe statuta sunt, minimè prohiberis, nullo ex hoc præjudicio futuro. S. 15. Kal. Jan. AA. Conff.

Variam lectionem ex aliis Codicibus, quos videre licuit, nullam deprehendimus, nisi quòd *Baudouza* quoque voces ipsas, virgulis inclusas, in nonnullis Codicibus non exstare notet: subscriptionem tamen ita exhibet: *S. XV. Kalen. Januarij AA. & CC.* in quâ uti nihil aded desideramus, ita vocula illa sæpè non malè retinetur. *arg. l. nec intra. 5. C. de Professor. & med. l. fin. C. de muner. & honor. l. pen. C. de his, qui num. liber. fac. l. mortuorum. 12. C. de religios. l. cum testamentum. 10. & seqq. C. de questiom. l. un. C. de reis postulat. l. un. C. de mulier.*

II. Sed antequam de ipsa lege agamus, de inscriptione & subscriptione nonnulla notabimus. Inscriptio præ se fert Autorem ejusdem & supplicansem, sive ut hodiè appellamus Requentem, qui legi occasionem dedit. Legislatores sunt *Diocletianus & Maximianus* Augusti, & Cæsares; *Constantius* nimirum & *Maximianus*, qui per duo CC. defignantur, uti apertè constat

stat ex inscriptione l. cum falsâ. 5. C. de jur. & fact. ignor. l. 2. C. si contra jus vel util. publ. Fac. l. 1. C. de feris. Nam & aliis Imperatoribus usitatum fuit, in Legibus Cæsarum quoque mentionem facere, idque vel expressè. l. de fideicommissio. II. C. de transact. l. pen. C. de crim. expil. hered. l. 2. C. de his qui num. liber. vel pauperi. excusl. l. 2. C. de peric. nominat. l. generalis. 7. C. de sentent. pass. l. 1. C. de apostat. l. 3. C. de navicul. l. 1. C. de erogat. militar. annon. l. fin. C. de inoff. testament. l. 1. C. de decur. l. 2. de legation. l. 2. C. de conven. fisci. debitor. l. 2. C. de annon. & tribut. vel tacite. l. 2. C. de quaestio. l. injuriarum. 7. & seqq. C. de injur. l. 3. C. de annon. & tribut. l. 3. C. vi bon. raptor. & passim. quoniam sæpe quoque, etiam si Cæsares jam designati essent, ipsorum ratio minime habita, uti docet l. pen. & ult. C. ad. Sct. Turpill. l. qui calumniatores. 5. & seq. C. de calumniat.

III. Cæterum etsi Maximiani Augusti & Cæsarum nomina Edictis præposita fuerint, magis tamen in speciem, quam communi consilio & auctoritate. Nam ipsius Diocletiani nutu omnia gerebantur, & reliqui ipsum ut parentem seu Dei magni modo suspiciebant, uti tradit *Sext. Aurel. Victor. de Cæsarib. in Diocletian.* Hic Valerius Diocletianus in bello Persico sub Imp. Caro, Carino & Numeriano, cum Carus fulminis tactu conflagrasset, Carinus postmodum à suis quoq; ob libidinem occisus, & Numerianus Apri Præfecti prætorio soceri insidiis extinctus esset, Eius domesticos regens (jam antè Consulatum gesserat sub Imp. Probo. M. Aurel. Cassiodor. in *Chronic.*) Ducum consilio Tribunorumq; ob sapientiam deligitur, primaq; ad exercitum concione, cum educto gladio solem intuens obrestaretur, ignarum cladis Numeriani neque Imperij se cupientem fuisse, Aprum proximè astantem (ut Dryadis olim apud Tungros vaticinantis dictum impleteret; quippe quæ avaritiam excusanti tum militi gregario, quodd Imperator non esset, fore illum Imp. prædixerat, si Aprum interfecisset. Joh. Cuspinan. in *Diocletian. in pr.*) ictu transegit, cujus dolo adolescens bonus facundusq; & gener occiderat. Cæteris veniam dedit retinuitque ferè hostium omnes ac maxime virum insignem Aristobulum, Præfectum prætorio, per officia sua. Ita exilio, proscriptio atque cædibus modus est factus, novaque

que res & inestimabilis, civili bello neminem fortunis, fama, dignitate spoliatum. M. Aurel. Vict. d. l.

IV. Multos externosque tuendi prolatandique gratia juris Romani consortio adscivit. Maximianum fidum amicitia, qui sub Carino consulatum administrarat. Cassiod. d. l. quamquam semiagrestem, militia tamen ingenioque bonum Imperatorem jubet; cui postea cultu Numinis Herculei cognomen tum accessit, uti Valerio Jovium; unde etiam militaribus auxiliis longe in exercitu prestantibus nomen impositum. Quia plurimi vero hinc inde hostes Imperium Romanum quaterent, ideo Julium Constantium Claudij Imp. ex filia nepotem, & Galerium Maximianum, cui cognomen Armentariorum erat, a parentibus agrariis, & quod ipse armentorum pastor fuisset, creatos Cæsares in affinitatem vocant. Prior Herculij privignam, alter Diocletiano editam sortiuntur, direntis prioribus conjugijs, ut in Nerone Tiberio ac Julia filia Augustus quondam fecerat. His omnibus Illyricum patria fuit; qui quanquam humanitatis parum, raris tamen ac militia insigniis imbuti satis, optimi Reipubl. fuere, ut constaret, sanctos prudentesque sensu mali promptius fieri, contraque expertes arumnarum; dum opibus suis cunctos aestimant, minus consulere: tum, pane sat esse & virtuti ingenium usumque bonae militiae; quanta illis ex institutione Imp. Aureliani & Probi fuerat. M. Aurel. Vict. d. l. & in Epitom.

V. Et quoniam bellorum moles acrius urgeret, quasi partito imperio, cuncta quae trans Alpes Galliae sunt, Constantio commissa, Africa Italiaque Herculo, Illyricique ora ad usque Ponti fretum Galerio, caetera ipse Diocletianus retentavit. His tempestatibus parti Italiae invectione tributorum ingens malum, cum haecenus omnes eademque functione moderataque tenebantur. Nam ut exercitus & Imp. qui semper aut maximam parte aderant, alii posset; pensionibus inducta lex nova; quae sane illorum temporum modestia tolerabilis, postea in perniciem processit. Pacis officia legibus aequissimis coluit, removitque pestilens frumentariorum genus, quorum postea Agentes rerum simillimi facti. Nam illi ad explorandum annuntiandumque, qui forte in provinciis motus existerent, instituti, compositis nefarie criminationibus, in jecto passim metu, praecipue remotissimo cui-



que, cuncta sædè diripiebant. Simul annona urbis ac stipendiariorum salus anxie sollicitèque habita, honestiorumque provecta & è contra suppliciiis flagitiosi cujusque virtutum studia augebantur; veterrimæ religiones castissimæ curatæ; ac mirum in modum novis adhuc cultisque mœnibus Romana culmina & ceteræ urbes ornata, Carthago, Mediolanum & Nicomedia. M. Aurel. Vict. d. l.

VI. Hic tantus Princeps Dalmatiâ oriundus & obscurissimè natus, ut à plerisque scribæ filius, à nonnullis Annulini Senatoris libertinus fuisse credatur, matre pariter atque oppido *Dioclea*; quorum vocabulis, donec Imperium sumeret, *Diocles* appellatus; ubi orbis Romani potentiam cepit, Graium nomen in Romanum morem convertit. Primus ex auro veste quæsitâ, ferici ac purpureæ gemmarumque ornamenta vestibus, calcamentisque indidit, cum prius Imperii insigne in chlamyde purpureâ tantum fuisset, reliqua comunia. Quæ quanquam plus quàm civilia, tumidiq; & affluentis animi; levitia tamen præ cæteris. Nam primus in Imperio Romano Regiæ consuetudinis formam magis, quàm Romanæ libertatis invexit, post Caligulam Domitianumque *Dominum* se palàm dici passus, uti *Deum* quoque adorari & appellari voluit, cum ante eum in modum judicum Imp. salutarentur. Unde comperit humilimos quosq; ubi alta accesserunt, superbiâ atq; ambitione esse immodicos. Verùm hæc in Diocletiano obducta cæteris bonis, eoque ipso, quòd *Dominum* dici passus, *Parentem* egit: satisque constat, prudentem virum edocere voluisse, atrocitatem rerum magis, quàm nominum officere. M. Aurel. Vict. d. l. Eutrop. lib. 9. circ. fin. Castrod. in Chron.

VII. Sagax præterea, & admodum subtili ingenio, qui se veritatem suam alienâ invidiâ vellet explorare. Parum quoq; honestæ in amicos fidei fuisse dicitur, discordiarum meru, dum enunciationibus posse agitari consortij quietem putaret. Hinc etiam quasi truncatæ vires urbis, imminuto prætoriarum cohortium atque in armis vulgi numero. Namque imminenti scrutator, ubi fato intestinas clades & quasi fragorem impendere quendam comperit Status Romani, celebrato regni vicessimo anno, valentior curam Romani populi abjecit, cum

cum in sententiam Herculium ægerrimè traduxisset, cui anno minus potentia fuerat. Igitur uterque unà die privato habitu Imperij in signe mutavit, Nicomediæ Diocletianus, Herculius Mediolani post triumphum in clytym, quem Romæ ex numerosis gentibus egerant. Concesserunt tùm Salonas unus, alter in Lucaniâ. Diocletianus privatus in villâ, quæ haut procul à Salonis est, præclaro orio consenuit, inusitatâ virtute usus, ut solus omnium post conditum Romanum Imperium ex tanto fastigio ad privatæ vitæ civilitatem remearet. Sed & contigit ei, quod nulli post natos homines, ut, cum privatus obisset, inter Divos tamen referretur. M. Aurel. Vict. & Eutrop. dd. ll.

VIII. Sunt qui ex mentis stupore atq; consternatione Diocletianum se imperio abdicasse putent, quòd Christi nomen deleturum, uti concupiverat, desperasset, perspectâ singulari Christianorum contra quoscunque cruciatus patientiâ. Nam priore anno edicta Imp. de tollendis iis ita exasperata sunt, ut uno mense variis poenis ferantur absumta 17000. Martyrum, exceptis iis, qui in insulas relegati, vel ad metallum vel ad opus metalli, vel ad fodiendas arenas excidendosque lapides damnati, quorû ferè multitudo infinita. Vid. Bapt. Platin. in vit. Marcellin. 1. Add. Bucholcer. Indic. Chronologic. ad ann. 303. Quàm gravis & atrox illa persecutio fuerit, gravissimis verbis expressit Lactantius lib. 1. Divin. Instit. cap. 11. ubi inter alia: Nemo hujus tanta belue inhumanitatem (de Diocletiano loquitur) potest pro merino describere, quæ uno loco recubans per totum orbem sevit ferreis dentibus, & non tantum artus hominum dissipat, sed & ossa ipsa comminuit & in cineres fundit, ne quog, exisset sepultura locus. Quanam illa feritas, quæ rabies, quæ insania est, lucem vivis, terram mortuis denegasse? &c. ap. M. Zuer. Boxhorn. Histor. universal. ad ann. 300. pag. 265.

IX. Cum postea Diocletianus ab Herculio atque Galerio ad recipiendum Imperium rogaretur, tanquam pestem aliquam detestans in hunc modum respondit: Utinam Salone possetis visere olera nostris manibus instituta, profectò nunquam istud tentandum judicaretis. M. Aurel. Vict. in epitom. in Dioclet. Solebat sæpius in ore habere: Nihil difficilius quam bene imperare. Nam 4. vel 5. viri se colligunt, atq; unum consilium capiunt ad Imp. decipiendum; dicunt, quid

quid probandum sit, imp. qui domi clausus est, vera non novit, cogitur hoc tantum scire, quod illi loquantur; facit iudices, quos fieri non oportebat; amovet à Republ. quos retinere debebat. Quid multa? bonus, cautus & opimius venditur Imperator. ap. Fl. Vopisc. in vit. Aureliam. Vixit annos 68. ex quibus communi habitu propè novem egit. Mor-te consumtus est, ut fatis apparuit, per formidinem voluntariam. Quippe cum à Constantino atque Licino vocatus ad festa nuptiarum, per senectam, quò minus interesse valeret, excusavisset, rescriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio favisse ac Maximino favere, suspectans necem dedecorosam, venenum dicitur hausisse. M. Aurel. Vict. in epitom. d. l.

X. Hæc de Diocletiano, quanquam plura etiam reliquis communia. At Aurelius Maximianus, cognomento Herculeus, propalam ferus, consilio stolidus, & incivilis ingenij, asperitatem etiam vultus horrore significans, Diocletiano in omnibus severioribus consiliis obsecundabat. Tantà libidine agebatur, ut ne ab obsidum quidem corporibus animi labem comprimeret. Ortus ejus agrestis & Pannonius. Nam non longè Sirmio postea eminuit locus, palatio ibidem constructo, ubi parentes ejus exercuerant opera mercenaria. Ex Eutropiâ Syriâ muliere genuit Maxentium & Faustam, conjugem Constantini M. cujus patri Constantio tradiderat Theodoram privignam. Ferunt Maxentium suppositum arte muliebri, tenere mariti animum laborantis auspicio gratissimi partus, cepti à puero. Sed carus ille nulli unquam fuit nec patri aut focero quidem Galerio. M. Aurel. Victor. in Casar. & in epitom. d. l. Eutrop. lib. 9. circa fin.

XI. Cum postea Romæ Prætoriani excitato tumultu Maxentium Augustum nuncupassent, Maximianus pater ad spem erectus resumendi fastigij, quod invitus amiserat; Romam advolvit è Lucaniæ agris amoenissimis, Diocletianumque etiam per literas adhortatus est, ut depositam resumeret potestatem; quas ille irritas habuit. In concione exercitus filium denudare conatus, seditionem & convicia militum tulit. Inde ad Gallias profectus, dolo composito, tanquam à filio esset expulsus, ut Constantino genero jungeretur, qui militum

litum & provincialium ingenti jam favore regnabat; quem tamen repertâ occasione interficere moliebatur. Detectis autè infidiis per Faustam filiam, quæ dolum viro enuntiaverat, profugit Massiliam ibique oppressus pœnas dedit justissimo exitu, fractis laqueo cervicibus, cùm à genero captus, mortis genus eligere juberetur. *Ætate interit sexagenarius, annorum viginti imperij, vir ad omnem asperitatem sævitiamque proclivis, infidus, incommodus, civilitatis penitus expers. M. Aurel. Vict. d. l. in Epinom. Eutrop. lib. 10. circ. pr. Cuspinian. d. l.*

XII. Is, ad quem rescriptum Impp. directum, Julianus est, privatus procul dubio aut fortè Præfectus Prætorio. *arg. l. si manifeste. 7. C. de serviit. qui Impp. in re dubiâ consuluerat. Nichil namque olim frequentius, quam ex Consistorio Principis, tanquam ex oraculo responsa petere; qui ut plurimum quam humanissimè respondere solebat; uti vel maximè à N. Impp. factum. arg. l. ut responsum. 15. C. de transact. l. mercalem. 5. C. de condit. ob turp. caus. l. 3. C. de duob. reis. l. 1. C. Ne liceat potentior. l. ex tribus. 26. C. de inoff. testam. Qualia rescripta tamen in similibus causis rectè allegabantur; ut aded interdum ex ipsâ inscriptione videre licet. l. si servum. 10. C. de neg. gest. l. un. C. si in commun. eademq; caus. l. 1. C. si adversus venditor. l. 1. C. de ord. jud. l. 1. C. de jurisdict. l. testamenti. 23. C. de inoff. testam. l. si fundum. 17. C. de rei vindic. l. si pater. 5. C. de usufr. l. si inter. 8. C. commun. utriusq; judic. l. 2. C. de noxal. act. l. si pater. 9. C. de sent. pass. l. 1. C. de conven. sisc. debit. l. 1. qui erat vel profess. l. 2. C. de jur. reip. Add. l. cum Salvatorem. 6. C. de summi. Trinit. Morem istum consulendi non penitus hodie esse obsoletum, suo exemplo firmat Jac. Alemann. in Palæstr. consultat. 8. de jure Monet. quest. principal. 1. partit. 10. vers. Tragschrift pag. 445. & seq.*

XIII. Cæterùm assiduos in jure dicendo fuisse Impp. N. nemini potest esse incognitum, ut aded vix reliqui Impp. parem LL. numerum in Codice exhibeant. In duobus autè posterioribus libris rarissimè eas reperias, & quidem ex lib. XI. l. fin. de jur. Reipubl. l. fin. de administrat. rer. publ. l. 1. Ne rustician. ad ull. obseq. devoc. ex lib. XII. l. 2. qui militar. poss. l. pen. de castr. pecul. l. 2. & seqq. de principil. Ex omnibus maximam æquitatem spirant in d. l. 3. de principil. ibi. utilitatem publicam præferendam esse privatorum contrahib.

in l. *decurionum*. 12. §. 1. de pen. ibi: *vanas voces populi non esse audiendas. Neq; enim vocibus eorum credi oportere, quando aut noxium crimine absolvi aut innocentem condemnari desiderans.* Add. l. *error*. 7. C. de jur. & fact. ignor. l. *traditionibus*. 20. C. de pact. l. *litum*. 15. C. de procurat. l. *pen*. C. de fisc. vel Resp. l. *metum*. 9. de his. quæ vi met. caus. l. *dolum*. 6. C. de dol. mal. l. *pen*. C. *Quib. ex caus. major*. l. 2. & 3. C. si min. se major. l. *obnoxios*. 11. & seq. C. de religiof. l. si non. 5. C. de injur. l. 3. C. de annon. & tribut. l. 2. C. de decur. l. in albo. 9. C. eod. l. *origine*. 4. C. de municip. l. *fin*. C. de muner. patrim. l. *fin. quemad. civil. muner. l. fin.* C. de decret. decur. l. 1. C. qui atat. vel profession.

XIV. Scripta fuit epistola nostra 15. Kal. Januar. Augustis Consulibus; & quidem tertio imperij Diocletiani, altero verò Maximiani anno, uterq; cum quartum Cōsules facti. Est enim simul quoq; tertium, sextum & octavum consularum gesserint; tamò L. N. videtur edita post Consulatu II. Maximi arg. l. *filios*. 5. & seq. C. de decur. qui idem cum Galerio, & aliàs Maximianus quoque. vid. *supr. th. 2.* malè autem à nonnullis Maximinus appellatur. vid. Cuspiniani *Commentar. in Consul. Cassiod. in Constantio & Maximo*; & postquam Constantius & Galerius Cæsares essent creati; quod demum anno æræ Diocletianæ sive ejus Imperij 5. Christianæ 291. factum: antequam autem iidem simul Consules creati. arg. d. l. 5. & seqq. quod factum anno æræ Diocletianæ 7. Christianæ 293. Relinquitur ergò anno Imperij seu æræ Diocletianæ 6. Maximiani 5. Christianæ 292. promulgatam nostram legem. Vid. Cassiod. *ibiq;* Cuspinian. d. l. Bucholser. in *Ind. Chronolog. ad ann. Chr. 285.* & seqq. quanquam hic nihil certi definiamus; cùm res majoris sit operæ quàm utilitatis. Nam Cuspinianus ponit annum Christi 295. Editio Gothofred. 290. arg. l. *servos*. 7. & seqq. C. de *quæstion. l. eum, qui*. 5. C. ad L. Cornel. de *ficar. alibi*. 293. arg. l. *cum super*. 10. & seqq. C. de R. V.

XV. Parùm quoque refert, utrum L. nostram scriptam dicamus aut subscriptam. arg. l. *esfi*. 19. C. ad L. Cornel. de *fals. vel subditam*. arg. l. *pen. C. ad Senatuscons. Turpill. acceptam*. arg. l. 2. C. de *procur. emissam. l. super statu*. 9. C. de *quæstion. propositam. l. si quis*. 7. C. ad L. *lul. de vi publ. vel datam, uti passim; vel mandatam. l. fin.* C. de *offic. ejus, qui vic. & c. lectam apud acta. l. si constitit*. 4. C. *fin. regund. vel dictam in consistorio*. arg. l. *decurionum*. 12. C. de pen. l. *litibus*.

litibus. 20. C. de agricol. l. sancimus. 22. C. de SS. Ecclief. vel productam, ut exemplum sacrarum literarum. l. 3. C. de pedan. judic. l. prohibitum. 5. C. de jur. fisc. l. 2. C. de decur. l. fin. C. de muner. patrimon. vel ut pars actorum. l. 2. C. de excusat. muner. l. 1. C. de veteran. vel post alia. l. 1. C. de susceptor. l. un. C. fiscal. relicti. civit. l. fin. C. de excusat. mun. l. fin. C. de his, qua ex publ. collat. l. pen. C. de naufrag. quoniam ea omnia qualitercunque posita & Codici, etiam sine die & Consule, inserta generalium Constitutionū habere vim Justinianus Imp. voluit in *Constit. de Justinian. Cod. confirm. §. 2. & 3.* Locus habitus Consistorii fortè Sirmium est. *arg. d. l. 5. C. ad. L. Cornel. de Sicar. l. si fundum. 17. C. de R. V. l. si non. 5. & seqq. l. qui veluti. 13. & seq. C. de injur. Maximiano Imp. natale, ubi palatium construi curavit, sicuti dictum. th. 10.* Extra dubium namque, quæ à singulis Impp. constituta fuerint, sub utriusque nomine expedita fuisse. Add. tamen *l. un. C. sumt. injunct. muner.*

XVI. Inquiremus jam in ipsum L. N. sensum; cui restituis explanandæ nonnullorum terminorum explicationem præmitteremus, & quidem potissimum de *Nominum naturâ & differententiâ*; tum de voce *mutationis, fraudis & præjudicij*. Nominis originem alij à Græco *ὄνομα*, alij à *νόμος* deducunt, quodd vel lege vel consuetudine constet. Neque enim ab ipsâ naturâ rerum esse nomina, sed hominum instituto ab ipsis Legislatoribus imposita; quippe quorum interest, res proprio suo nomine appellari, ne ambiguitas errorem pariat. *vid. Zas. ad l. si quis in fundi. 4. n. 5. ff. de leg. 1. Höpfgk. de jur. insign. c. 21. n. 13.* Festus nomen quasi novimen dici ait. Nam ut à moveo, movi, morum, movimen, momen; sic à nosco, novi, notum, novimen, nomen descendere. *Becman, de Orig. Lat. L. in voc. Nōos. p. 545. Höpfgk. d. l. n. 14. & seq.*

XVII. Nomen interdum sumitur (1.) pro familiâ sive gente. *arg. l. pater. 38. §. 1. & l. ii, qui. 94. ibi: ne de nomine suo exiret. ff. de leg. 3. ubiq. Gl. vel (2.) pro titulis debitorum, in quibus hominū nomina scribebantur, quibus pecuniæ erant numeratæ. Unde nominibus obligatio cōtrahebatur, cum expensū quid alicui in tabulas referebatur. *vid. Calvin, in Lexic. in voc. Nominibus. pag. m. 599. & r. Gothofr. ad l. 1. ff. de ann. legat. Hinc facere nomen pro contrahere. in l. Thair. 41. in fin. ff. de fideic. libertat. l. si verd. 12. §. idem ait. 15. ff.**

mandat. l. cum quaritur. 16. ff. de administ. tut. l. 2. ff. de proxenet. & eleganter bonum nomen pro debitore idoneo. in l. inter causas. 26. §. 2. ff. mandat. l. 1. pr. ad Scim Macedon. idoneum. in l. tutor. 19. §. quid ergo. 4. ff. ad Sc. Vellej. l. tutor. 13. §. 1. ff. de administ. tutor. l. tutor. 35. ff. eod. l. liberto. 21. §. 3. ff. de ann. legat. l. Divi. 89. ff. ad L. Falcid. quibus opponuntur mala, peiora nomina. in l. in ratione. 30. pr. ad L. Falcid. deteriora in l. fin. §. pen. ff. de administ. rer. ad civit. pertin. uti salvis & integris deperdita & male contracta in d. l. 16. ff. de administ. tut. Optimè Coladnella bona nomina non appellando fieri mala. lib. 3. cap. 17.

XVIII. Vel (3.) pro causâ alicujus rei, ut in l. qui cum. 4. §. non omnis. 8. ibi. exauctoratus eo nomine. ff. de re militar. & passim. quo casu sæpe subintelligitur, ut in l. 2. ff. de nau. fœnor. l. cum quaeretur. 60. §. 3. de leg. 3. l. fin. de proxenet. l. cum, qui. 30. §. 2. de jurejur. l. si legati. 28. de pignor. l. item. 6. in fin. quibus mod. pign. l. cum tale. 72. §. 3. ff. de condit. & demonstr. vel (4.) pro rerum signis & quidem in genere pro quibuslibet verbis rem designantibus arg. §. 2. Inst. de donat. l. natura. 4. ff. de præscript. verb. l. 1. §. 3. de pact. l. nominis. 4. l. nomen. 164. l. pecunia nomine. 222. de V. S. ibiq. Rebuff. & Gædd. vel in specie pro iis, ex quibus personarum cognitio inducitur. arg. §. si quis. 29. Inst. de legat. l. ad recognoscendos. 10. C. de ingen. manum. l. pen. C. de condit. in ed. l. filius. 76. §. pater. 5. de leg. 2. l. uxorem. 20. de manum. testam. l. filia. 28. §. 1. de condit. & demonstr. l. hoc jure. 19. §. fin. de donat. can. olim. 8. caus. 8. q. 1. cap. Raynutius. 16. pr. ff. de testam. Quæ significatio potissimum est hujus loci. Definitur à Cic. quod unicuique personæ datur, quo suo quæque proprio & certo vocabulo appelletur. lib. 1. post pr. de Invent. Alij definiunt Nomen esse notam cujuslibet propriam ac peculiarem, appellationis causâ ab animo, corpore vel fortunâ desumptam. vid. Höpingsk. de jur. in fin. cap. 21. n. 19.

XIX. Dividuntur nomina (1.) in publica, quæ publicâ autoritate; & privata, quæ privatim imponuntur. Illius generis sunt, quæ plures res ejusdem speciei designant, uti homo, fundus &c. & mutari nequeunt. arg. l. si quis 4. de leg. 1. Wissenbach. disputat. ad ff. part. 2. disp. 1. ad tit. de legat. 1. th. 6. hujus verò, quæ certam differentiam connotant. v. gr. Titius, fundus Cornelianus &c. Höpingsk. d. l. n. 20. & mutari possunt.

do lo

d. l. 4. vid. *infr.* th. 33. & *seqq.* (2.) in honesta & turpia. arg. l. *sciendum*. 7. ff. ad *Scf. Trebellian.* l. *facta*. 63. §. si *verò*. 10. ff. *eod.* Priora liberis nostris imponere debemus, ut iis dignos sese studeant præstare. arg. *cap. cum secundum*. 16. *ibi*: ut ipsa nominis ratio persuadet. X. de *prabend.* *Salic.* in l. 1. C. de *Summ. Trin.* *Guil. Bened.* in *cap. Raynutius*. 16. in *voc. Raynutius de Clericis*. n. 52. X. de *testam.* Fr. *Viv.* lib. 2. *comm.* *Opinion.* 540. n. 8. P. *Heig.* in *Proem. Instit.* n. 9. Unde gloriatur *Accursius*, sibi id nominis inditum, quod accurrat five succurrat contra tenebras juris civilis. in d. l. 63. §. si *verò* 10. in *voc. conditio.* *Br.* in *Orat. Doctoral. pro fratre Bonacurs.* in *pr.* uti quoq; *Ioh. Faber*, qui idem *fabrum* se appellari ait, non quasi ferrarius aut lignarius sit, sed quod libenter compilando & legendo operetur. in §. *ex diverso*. 30. *Instit.* de R. D. *Bened.* d. l. n. 55. Inhonesti & turpia jure improbantur; ut, si quis hâc conditione institutus sit, ut tale nomen ferat, conditio illa à Prætoze remittitur. d. §. 10. ad *Scf. Trebellian.* qualia sunt *Vespillo* seu *Vespertilio*, *Nero*, *Dathan*, *Abiram*, *Mascaron*, *Belial*, *Rampinus*, *Sgraffina*, *Truffa* &c. *Gl.* d. l. *Bened.* ad d. *cap.* 16. num. 51. & *seqq.* *Malfard.* de *probat.* vol. 2. *conclus.* 832. n. 21. Fr. *Viv.* *Commun. Opin.* 540. n. 9. *Höpingk.* d. *cap.* 21. n. 26. *Add. infr.* th. 43. & 53.

XX. (3.) Alia nomina gentilia sunt vel originaria, quæ à Majoribus de ducuntur, & in eâdem gente ac familiâ obtinent; alia verò adscititia vel adventitia, quæ recens affumuntur & in posteros quoque derivantur. Ita nomen *Tullius* gentile erat, *Cicero* autem adventitium sicutumque à *cicere*, cujus speciem in extremâ nasi parte formatam habuit, qui primus ita nominatus est; quod tamen gentile quoque postea factum. *vid.* *Höpingk.* d. *cap.* 21. n. 32. & *seqq.* *Add. Suet.* in *Tiber.* *cap.* 3. in *Galbâ* *cap.* 3. ubi docet, unde *Tiberiis Drusi* & *Sulpitiis Galbæ* nomen accesserit. Ita apud Romanos *dentati* dicti à solido dentium osse; *capellæ* à capillorum hirsutie; *Anci* vel *Antiatæ* à vitioso cubito; *Ænobarbi* à rutilâ barbâ; *Strabones*, *Pæti*, *Cæci*, *Licinij*, *Limi* à vitio oculorum; *Papyrij*, *Nerva*, *Sylla*, *Nigri*, *Rufi*, *Claudij* à robore vel vitio corporis; *Bubulci*, *Caprarij*, *Portij*, *Suillij*, quod illorum animalium virtutes sequerentur vel iis signarent; *Murena*, *Orata*, quod eas in deliciis haberent; *Pisones* à pinsendo frumento, vel

B 3

à pisif.

à pifis; uti Fabij, Lentuli, à fabis & Lentibus. Ita Proculus, qui Patre ab-
 fente; Hofus, qui ap. Hofes; Pofthum^{us}, qui patre mortuo; Opiter, qui
 vivo avo, fed patre mortuo natus eft: Papiſcus, qui è gemellis vi-
 veret; Fauſtus à favore; Volero, qui volentibus parentibus natus:
 Cneus à nævo; Cajus vel Gajus à gaudio parentũ; Servius, qui mor-
 tuâ matre ſervatus; Auli, qui diis alentibus naſcuntur; Marci,
 qui Martio menſe geniti; Tiberij, qui ad Tiberim naſcebantur;
 ſtatus à ſtabilitate; Tullus quaſi tollendus ominis cauſa; Sertor,
 qui per ſationem; Lucius, qui initio lucis; Manius, qui manè na-
 tus erat. vid. Aut. Anonym. vel, ut alij volunt, Val. Max. de No-
 min. Prænom. &c. Hœpingk. d. c. 21. n. 54. 74. & ſeqq. Add. eund.
 n. 77. & ſeq. ubi veterum Germanorum Nomina explicat, de
 quibus etiam legendus omninò Scalig. de ſubtilit. Exerc. 266. poſt
 pr. Speidel. in Theſaur. lit. N. n. 20. in voc. Nahnmen / Zunahmen &c.
 In ſeptentrionalibus populis, ut & alicubi in Germania, filij ex
 nomine paterno cognomen accipiunt; quod quia Genealogi-
 arum rationes conturbat, hinc paulatim illa cognomina geni-
 lia ſunt facta; uti cernere licet in Torſtenſon, Guſtavſon, Carl-
 ſon, Magnuffen, Peterſen, Johansen, &c.

XXI. (4.) Nomina ſunt vel familiaria vel propria. Illa ea-
 dem ſerè cum gentilitiis; vulgò die Stammnahmen / Zunah-
 men; hæc, quæ & luſtrica appellantur, die Taufnahmen;
 quæ vel à die natali, qui Divi ejuſpſam memoriâ inſignis
 eſt; vel ab iis, qui ad ſanctiſſimum lavacrum infantem afferunt,
 vel à defuncto patre aut avo aſſumi ſolent. Scalig. d. l. ubi ad-
 dit: populos in Libya Bornos nominibus propriis non uti, ſed ex proceritate
 aut lineamenti corporis aliisq; notis commune nomen captare v. g. longum,
 curvum, curvum, craſſum, ventrioſum &c. Q. Septimius Florens
 Chriſtianus, Poëta Gallus non ignobilis, ita dictus eſt, quòd
 numero quintus ex compluribus liberis & ſeptimo menſe natus eſ-
 ſet &c. Thuan. Hiſtor. lib. 117. ad ann. 1596. Gentilitia à patre vel
 majoribus paternis deducuntur. arg. S. 1. in ſin Inſt. de legitim. ag-
 nat. tuol. cap. ſin. verſ. cum autem. X. de converſ. infidel. non à matre,
 niſi fortè propter nobiliorem proſapiam aut ex privilegio ali-
 quo. arg. l. 1. S. 2. ff. ad municipal. aut ubi impedimentum ex parte
 patris circa nuptias &c. arg. l. lex natura. 24. ff. de ſtat. homin.
 l. pactum. 7. C. de R. V. cap. 3. X. de conjug. fervor. aut ſi mater infide-
 lis

lis Christiana fiat. *arg. d. cap. fin. Guil. Bened. in cap. Raynuius. 16. X. de testam. in voc. Raynut. de Clero. num. 1. 12. 16. & seqq. Add. infr. th. 51.* Olim nomen cuique Romano, ut ceteris omnibus, unum fuisse, tradit *Appianus Alexandr.* post accessisse alterum, nec ita dudum etiam tertium ceptum addi quibusdam, quò magis agnoscerentur ex aliquà notà corporis aut virtute animi; quemadmodum & Græci aliquot nominibus adjuncta habuerint cognomina. in *præfat. histor. circa fin.* ubi addit, *se positurum nomina omnia, præsertim virorum illustrium, plerumq; autem eo appellaturum, quod visum fuerit maximè proprium.* Et tribus, interdum quatuor. *Gothofr. ad l. fin. ff. de instit. act.* nominibus appellari postea honestum putârunt, ut quasi unum à patre, alterum à Majoribus, tertium à seipso haberent. *C. Sigon. de Nomin. Roman. cap. 1.* De illis concisè *Becmannus: Nomen est familiæ nota, prænomen proprium cuiusque; cognomen, quod eventu accessit; agnomen eventus accessionem significat. de Orig. d. l. p. 54. 6.* sed uti ex *d. loc. Appiani & Historiis* liquet, crebrius Romani cognominibus, quàm aliis nominibus fuere appellati.

XXII. *Accursius ad J. si quis. 29. ad verb. in nomine &c. Inst. de legat.* Nomen, ait, est genus, sed ponitur hic pro specie sui, ut *Albertus*, quod dicitur proprium personæ nomen: cognomen quasi commune cognationis nomen, ut *Afinellus*; prænomen quod cum differentiâ ponitur, ut si sint duo *Tullyj*, & uni superaddatur *Marcus*, & dicatur *M. Tullius*. Nam *Marcus* est prænomen. Agnomen est, quod imponitur ab eventu, ut *Africanus*, qui vicit Africam, *Alemannicus*, *Gothis*, &c. Ad quæ verba *Andr. Alciatus: declaravit hæc verba, inquit, Accursius, ut intelligendum existimet nomen, quale sit Albertus; cognomen verò quasi familiæ seu cognationis vocabulum sit, quasi est Afinellorum, quæ gens fuit Bononiensis; qua ratione nomen mihi erit Andreas, cognomen Alciatus: & sic in similibus.* Nemoque est in præsenrem diem, cujus vulgata sit opinio, qui non in sententiam *Accursii* i verit, *J. Cti, Rhetores, Grammatici, turmatimque ceteri id genus scriptores non uno in loco hoc prodiderunt &c. quam sententiam penitus falsam esse spero fore, ut nemo tandem dubitet &c. lib. 4. diff. punct. cap. 1.*

XXIII. Sed nihil aliud probat, quàm gentilia illa nomina, v. gr. Domitorum, Sulpitorum, Tulliorum &c. simpliciter nomina apud veteres fuisse appellata; quod contra Accursium non est, qui ipse concedit, & generaliter & specialiter vocem nominis sumi adeoque variatum sæpè in eâ fuisse. Enim verò dum ipse Alciatus, servos à Dominis manumissos, eorum nomen, ait, accepisse; v. gr. *Dionysium* Pomponij Attici, postquàm vindictâ liber factus sit, appellatum *M. Pomponium Dionysium*; Eutychem à T. Cæcilio manumissum postea dictum esse *T. Cæcilium Eutychem* &c. annon eo ipso profiteretur, ipsum prænomen sub voce nominis comprehensum? Apprimè Seneca, officium, inquit, quod à *Sen. eâ* accepisses, si *Ant. neo* te diceres debere vel *Lucio*, non creditorem mutares, sed
 „ nomen; quoniam sive prænomen ejus, sive nomen dixisses,
 „ sive cognomen; idem tamen ille esset. *lib. 4. de benefic. cap. 8.*
 Nec diffiteri potest ipse *Ant. Augustinus*, quanquam aliàs Alciati opinionem laudat, cùm ex Cicerone adduxisset veteres Jctos irridente; quòd cùm id nomen invenissent exempli causâ in *Cajâ Cæciliâ*; putârint omnes mulieres, quæ coemtionem facerent, *Cajas* vocari; *vid. Val. Max. de Nominib. pronom. &c. illic* prænomen dictum esse nomen &c. *lib. 3. Emend. cap. 8. ubi* tandem *in fin.* quoque docet, Imperio Byzantium translato, veterem Romanorum consuetudinem tenuibus vestigiis mansisse &c. *Add. Besold. in Thes. Pract. lit. N. n. 9. in voc. Namen &c.*

XXIV. Videamus breviter de reliquis terminis obscurioribus. Mutatio nominis fieri dicitur non solùm, si aliud pro alio substituatur & ita penitùs nomen immutetur, verùm etiam si varietur aut priori nomini aliquid addatur vel detrahatur. *arg. l. Iulianus. 4. §. 3. ff. ad exhib. l. nonnunquam. 8. in pr. ff. de col-lat. l. adsumptio. 6. ff. ad municip. l. aded. 7. §. alind. 7. l. ergo. 30. §. 2. ff. de A. R. D. l. 3. §. miles. 13. ff. de re milit. l. servitutes. 20. §. pen. ff. de S. P. U. cap. in tantum. 36. X. de Simon. Can. non sufficit. 63. de penit. dist. 1. cap. 1. & 4. X. de vor. & vot redem. Ita secundum Dd. ante litis contestationem libellum tam in civilibus quàm criminalibus mutare licet, die Klagung mag für beschehene Kriegsbe-
 festigung verwandelt, gemehrt und gemindert werden. *arg. l. 3. C. de edend. ibiq. Gl & Dd. add. Wurmser. tit. 9. Obs. 3. 3 ail. lib. 1. Obs. 51.**

n. 9. & observ. 74 n. 4. Ita iudicium dicitur esse mutatum, si po-
 tentior adversarius substituatur, manente licet eodem iudicio,
 l. 1. & l. 1. ff. de alienat. jud. mut. caus. Et nemo dicitur sibi causam
 possessionis, nisi illa extrinsecus accedat, posse mutare, l. qui
 bonum. 19. §. 1. l. 3. §. illud. 19. l. quod meo. 18. pr. ff. de acquir. possess. l.
 cum nemo. 5. C. cod. l. fin. ff. si pars hered. pet. l. non solum. 33. §. 1. ff. de
 usurpat. l. 2. §. 1. de hered. l. ad probationem. 23. C. de locat. Vid. Gl. ad d.
 l. 5. in voc. extrinsecus. C. de acquir. possess. Gothofred. ad d. l. 3. §. 19. ff. eod.
 interdum mutare eleganter ponitur pronocere, obesse, &c. in l.
 usu. 11. ff. usuf. quemadmod. cav. l. 3. §. fin. de pecul. l. amisti. 52. §.
 2. de fidejuss. l. 3. §. 3. de administr. rer.

XXV. Dicitur in L. N. sine aliqua fraude &c. Fraus in ju-
 re nostro ut plurimum pro dolo malo sumitur, quando quis
 callidâ quâdam machinatione damnum infert, ut in l. 1. ibi: de-
 eâ operâ in fraudem &c. ff. de alien. jud. mutand. l. si culpâ. 63. pr. ff. de inoff.
 testam. l. 3. ff. pro soc. l. si procurator. 10. C. de procur. interdum damnum
 significat, quo quis absque dolo tamen alterius afficitur. arg.
 l. inter. 33. §. ibi: officium, quod gerunt & publicè prodest & fraudem eis
 asserre non debet. ff. ex quib. caus. major. junct. l. si servus. 61. §. quod v. 5.
 ff. de furi. l. sed si. 7. ff. de testam. quemadmodum aper. & arg. l. cum te. 6.
 ibi: poterit tibi ea res non esse fraudi. C. de pact. inter emtor. l. si quis. 17.
 ff. quæ in fraud. creditor. fac. l. si longius. 18. §. 1. vers. unde ego. ff. de judic.
 l. 2. ff. de his, quæ in testam. del. §. 1. Inst. de Usucap. §. 2. Per quas per son.
 Gl. in d. l. 6. t. C. de pact. inter emtor. Et posteriorem quoq; significatio-
 nem hujus esse loci evincunt verba sequentia, licito jure; quæ ma-
 joris evidentiæ gratia adjecta videtur, ut sensus sit, mutari pos-
 se nomina, modo ne id fiat dolo malo vel in damnum alterius.
 Et si namq; dolo caream, tamen temerè id mihi permittendum
 non est, quod alteri nocet, mihi non adedò prodest. arg. l. 1. §. ii-
 dem. 11. l. 2. §. item Varus. 5. ff. de aqu. & aqu. pluv. arcend. l. in. §. 3. 4.
 & 6. ff. De quid in sum. publ. l. in creditore. 38. ff. de evict. l. in fundo. 38.
 vers. constituimus. ff. de R. v. d. l. servitutes. 20. §. pen. ff. de S. P. U. l. solvendo.
 39. de negot. gest. Et huc referri etiam possunt verba finalia L. N.
 nullo ex hoc præjudicio futuro; quæ quanquam impunitatem quoq;
 nomen mutantibus promittant, tamen nihil impedit, quò mi-
 nus conditionem inferant, si mutatio nominis tertio cuiuspiam
 fraudi damno vel præjudicio non sit futura. arg. l. penult. in pr.

mitig

C

ff. de



ff. de ro jud. junct. rubr. & t. i. C. inter alios act. vel jud. aliis non nocere.

XXVI. Summa igitur L.N est: *Mutatio nominis non fraudulosa libero homini est permessa, uti summat Bl. ad h.l. n. quod admittim^o, si, uti diximus, verbum fraudulosa generatim sumatur.* Ex illâ aliquot themata seu partitiones colligere licet. (1.) Nomina ad cognoscendos singulos sunt imposta tum publicâ, tum privatâ autoritate. (2.) Qui suâ potestatis est, etsi privatus, ab initio sibi nomen impositum mutare potest; (3.) modo id fiat innocenter, id est, neque in fraudem, neque in damnum alterius. (4.) Filiusfam. neque sibi nomen ab initio imponere, neque postea mutare potest. (5.) Multò minus id facere poterit servus. Rescripto causam dedit *Julianus*, ad quem verba illius directâ. Hic fortè, quùm ab initio *P. Valerius* appellaretur, postea *T. Valerius Iulianus* vocari maluit, quodd *T. Iulius Afer*, qui superiore bello civili interfectus erat, plurimis eundem beneficiis affecisset. Aegrè id tulit *Q. Iulius* dicamque scribere intendit, quasi in contumeliam vel fraudem gentis *P. Valerius* nomen mutasset, qui id unice in memoriam patroni optimi maximi fecerat. Itaque hic supplice libello Consistorium Principis adiit & quid facto opus esset, consuluit.

XXVII. Non vacat, neque expedit dicis gratiâ afferre, quid *Q. Julius* contra novitium *Julianum* allegare potuisset; hominem esse vilem, novum, qui tanquam ex adoptione anti-quæ familiæ insidias faceret; metuendum, ne in perniciem Reipubl. quodd Patronus uni ex triginta Tyrannis favisset, ob memoriâ illius quid machinaretur &c. Satis erit, si discutiamus cardinem quæstionis, ex quo reliqua nullo negotio vi-am invenient. Erit illa, *An liceat nomen mutare?* id quod negandum videtur. Nam (1.) ipse *Majoragius*, cùm antea *Anthonius Maria* vocaretur & postea *Marcus Antonius* nominari maluisset: atque propterea coram Senatu Mediolanensi à *Fabio Lupo* & *Macrino Nigro* collegis suis de mutatione istâ nominis accusaretur. *Thuan. histor. lib. 16. ad ann. 1557. is, inquit, quem veteris nominis perniat, omnes in levitate atq. inconstantia suspitionem inducit. in Orat. X. in med. pag. m. 260. Nihil autem inconstantia atque levitate turpius, & magis indecorum: quippe quam jura nostræ patriæ*

passim damnant in l. 2. ff. de consti. Princip. l. queritur. 24. §. si venditor. 9. ff. de edil. edict. l. quamvis. 39. C. de pact. cap. quod semel. 21. de R. l. in 6. can. definitio. 17. caus. 22. q. 4. l. in causas. 27. pr. ff. de procurat. & illud aureum: Non mutandi sunt termini, quos Patres possidere. in Proverb. Salomon. 22. 28. Apud Romanos quæ meretricium quæstum incipiebant, nomen mutare consueverunt, Alciat. lib. 9. Parerg. cap. 16. Unde Yacius: Vestilia Prætoriâ familiâ genita licentiam stupri apud Ædiles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui satis pœnarum adversus impudicas in ipsâ professione flagitij credebant. lib. 2. Annal. circ. fin. Nam publica lupanaria Romæ fuisse, etiam Val. Maximus docet lib. 7. cap. 3. n. 10. quanquam id ex l. ancillarum. 27. de hered. petit. l. idem. 4. §. 3. de eondict. ob turp. caus. l. affectionis. 5. de donat. l. si uxor. 13. §. 2. ad L. Iul. ff. de adult. l. que adulterium. 29. C. eod. probari negamus. Ipsa tamen Vestilia in Seriphon insulam abdita est gravibusq; Senatus decretis libido fœminarum coercita, caucumq; ne quæstum corpore faceret, cui avus aut pater aut maritus Eques Romanus fuisset. Tac. d. l.

XXVIII. (2.) Quid imprudentius, quàm aspernari familiam, ex quâ quis oriundus, & quasi cornicum oculos configere? dum quis Parentum vel Patrinatorum incuriam accusat, qui tamen præmeditatò & in bonam spem nomen indiderant. Hinc iterum Majoraqius: omnes qui sibi nomen mutant, Parentum primum mandatum contemnunt atque despiciunt, Parentum prima munera parvi pendunt, Parentum voluntatem irritam faciunt &c. in d. Orat. X. pag. m. 262. Erò si quis in pejus nomen mutat, suam ipse stultitiam; sin verò in melius, suorum stultitiam coarguat necesse est. Quantà autem curâ olim infantibus tam apud Christianos, quàm apud alias gentes nomina sint imposita, docet Genes. cap. 17. v. 18. Levit. 12, 3. Luc. 1, 59. & 2, 21. Macrobi. I. Saturnal. 16. circ. fin. Scalig. de subtilit. exerc. 266. in pr. Bodin. 4. de Republ. 3. circ. fin. Höpingk. de insign. cap. 21. n. 120. & seqq. D. Chryostomus in cap. 4. prior. ad Corinth. suo ævo, ait, fuisse usitatum inter gentes, ut natis infantibus accenderentur plures lucernæ, quibus singulis nomen impositum, atque ejus demum, quæ ceteris extinctis supervixerat, nomen arreptum & longioris vitæ præ sagio infanti fuisse inditum, apud Höpingk. d. l. n. 102. vid. supr. th. 19.

XXIX. (3.) Quis dubitat, pluralitatem nominum confusio rerum in Republ. inducere. *arg. l. Labeo. 7. ff. de supellect. leg. Gail. 1. Obs. 50. n. 2. Höpingsk. d. l. n. 198.* In exercitu si turbata sunt signa, quis non Ducum sibi metuit? Quid faciet gubernator, si subortâ tempestate petenti funes nauta afferat remos? Nominum illa confusio non potest non rerum adducere periculum & novam parere Babylonem. Sapienter Iustinianus noster: Cui ferendum est, eundem esse tutorem & sub tutelâ constitui, eundem esse curatorem & sub curâ agere? Hac censet & nominum & rerum facta confusio est. in *l. fin. C. de leg. iur.* Unde nec origine propriâ nemo voluntate suâ eximitur. *l. pen. C. de municip. & originar.* neque ulli permissum est, rebus quas alius detineat, nova signa imprimere, etiamsi suas esse affirmet. *l. fin. C. ut nem. lic. fin. jud. auct.* (4.) Accedit opinio quædam, quæ jam penitus insedit atque inveteravit in omnium ferè mentibus, non nisi alicujus fraudis atque malitiæ causa solere nomen immutari. *Majorag. in d. Orat. X. p. 215.* Quare Papinianus. Falsi nominis vel cognominis adseveratio poenâ falsi coercetur. in *l. falsi. 13. pr. ff. ad L. Cornel. de fals. Fac. can. postquam. 13. caus. 13. quest. 2.* Et quid prodest mutatio nominis, si malus animus minimè mutatur. *arg. l. neq. professio. 5. C. de testam. Gul. Bened. in cap. Raynuius. X. de testam. in verb. Raynuius de Clero. n. 54. in fin. Hartm. Hartmanni in Obs. serv. pract. iii. fin. Miscellan. cap. 1. obs. 6. n. 10. & seq. Add. inf. thes. 53. pr.*

XXX. (5.) Hinc procul dubio viri Principes & docti ne leviter quidem nomina sua immutari passi sunt. Exemplo sunt Adrianus VI. & Marcellus II. Pontifices, qui contra morem aliorum Pontificum pristina nomina lutrica retinere. *Bucholz. in indic. Chronolog. ad ann. 1522. Laur. Surius. ad ann. 1522. Thuan. lib. 15. ad ann. 1555. & notæ sint illæ controversiæ de vocibus von & in. ap. Höpingsk. de jur. insign. cap. 2. num. 185. Limn. jur. publ. lib. 4. cap. 7. in Addit. II. pag. 253. unter & in ap. Reinking. lib. 1. class. 5. cap. 21. n. 78. Carpzov. lib. 2. Resp. 15. n. 16. Sprenger. de jur. publ. lib. 2. cap. 2. pag. 198. & cap. 40 p. 333.* Meminimus, virum Principem cum nomen proprium literæ non in vernaculâ, sed latino idiomate scriptæ efferrent, maluisse obsignatas remittere, quàm peregrinam nominis inflexionem admit-

admittere. Quanta quæso virorum doctorum copia, qui in vernaculâ cognominati malunt *Becker/Schneider/Schuster/Bläfer* &c. quàm *Pistorij, Sartorij, Sutorij, Viriarj* &c. Imò sunt, qui vel horrenda aut obscena nomina à Majoribus accepta retinent, quàm ut vel levissimè illa mutari velint, rati fortè, non magis nocere malum nomen, quàm faciem deformem; utroq; enim invitari possessores, ut moribus contrariis & pulcherrimis assuefcant. Gloriosè *Cicero*, cùm ab amicis crederetur id nomen aut omninò viraturus aut in aliud commutaturus, *se effecturum respondit; ut posthac non minus celebre esset nomen Ciceronum, quàm Scaurorum atq; Catulorum.* Vid. *Plutarch. in ejus vit.* Neque malè DD. si quis sub lege institutionis vel legati nomen alterius aut testatoris ferre iustus, vel in minimo aut in solâ aspiratione illud mutet, eum hereditate vel legato excidere. Vid. *Guid. Pap. decis. Gratianopol. 251. Gul. Bened. d. l. n. 44. & seq. Höpingk. d. cap. 21. n. 142. & cap. 8. n. 324. & infr. th. 38.*

XXXI. (6.) Quod sitandem absque judicis autoritate signa in rebus nostris mutare fas non est, uti dictum. *arg. rubr. & t. t. ut nem. lic. sine jud. aut. quid dicemus de nominum mutatione.* Sanè olim & ipsis Imp. per Senatam sibi nomina decerni gloriosum fuit. Vid. *Æl. Lamprid. in Vit. Alex. Severi circa pr.* Et hodie sicut insignia à Superioribus conceduntur, augentur vel mutantur. *Welenbec. in parat. de jur. auz. ann. Limn. I. P. lib. 6. cap. 6. n. 27. & 42. ita Imperator singulari diplomate, utpote in literis Nobilitatis aut Armorum, mutationem nominis facere solet. aut ad faciendum eam largitur facultatem. Höpingk. d. l. cap. 21. n. 171.* Exemplum in *Johanne Wilhelmo Wisenbach* ejusq; successoribus, quibus *Ferdinandus II. Imp.* in literis Nobilitatis anno 1627. d. 20. Octobris inter alia singulari ex gratiâ & privilegio concessit, ut in perpetuum seipsos & per alios in omnibus scripturis, allocutionibus, titulis & sigillis dte von *Wisenbach* nuncuparent & inscriberent, referente *Höpingk. d. l. n. 145. in fin.* *Ludovicus XI. G. R.* inter cæteros domesticos & aulicos *Oliverium Diabolum, tonsorem Flandrensem, hominem perversum sublatâ Diaboli appellatione, Danmam* cognominavit. *Gul. Bened. d. l.* Et *Carolus IX. G. R.* ex matris *Catharinæ Medicæ* voluntate fratrum *Alexandri & Herculis* no-

men mutavit, & alterum *Henricum*, alterum *Franciscum* in posterum nominari voluit. Thuan. *hisor. lib. 37. ad ann. 1565.*

XXXII. (7.) Agmen claudant verba *Linnæi*, quibus Literatorum nonnullorum mores in fingendis nominibus taxat. Hodie inquit, licentioso hoc seculo numero plurimos reperire licet, qui nescio quâ gravitate cum *Edmundo Campiano Concert. Eccles. Anglic. 3. læpius & nomina & vestes mutant & Protheo mutabiliores in theatro literario apparent.* Ita mox videbis *Eberhardum à Weibe*, mox *Durum di Pascolo*, mox *Waremundum ab Ehrenberg*, mox *Mirabilem de bona casa*, unum eundemque Politicum constituere. Nunc erit *Syringus*, qui modo *Springer* erat. Ant. *Benbellona de Godentis* dabit *Bartholomæum Garicum*; *Regius Selmus, Christ. Traßbulus, Christianus Alemanus* unum repræsentabit *Basilium Monnerum*. Tortus, qui contra Regem Britannicæ scripsit, *Bellarminus* erit; *Harminius de Mofe, Hermannus Fabronius &c. lib. 1. jur. publ. cap. 11. num. 72.* Ille *Edmundus* seu *Enimundus Campianus Londinensis* sodalicio Jesuitico nomen dederat & postmodum ob causam perduellionis erga *Elisabetham Reginam* damnatus fuit. Thuan. *lib. 74. ad ann. 1581. Add. eund. lib. 135. circ. pr. ad ann. 1605.* ubi illius exemplo socios, ut laterent in illo regno, fere binomines ac trinomines fuisse docet. *vid. infr. th. 45.*

XXXIII. Sed ut hæc veri speciem habeant, licitum tamen esse nominum mutationem, L. N. evincit; quippe quæ certis demum casibus illam prohibet, in iis scilicet, qui sui juris non sunt, aut si mutatio aliis fraudi sit *vid. supr. thes. 26.* Extra illos casus reprobari nequit. Nam quod legitime factum est, nullam pœnam meretur. *arg. l. Gracchus, 4. C. ad L. Iul. de adult. neque crimen perhorrescat, qui concessâ sibi utitur potestate. arg. l. devotum. 5. C. de metat. 12. 41.* Et hinc generaliter dicitur, hominum nomina esse mutabilia. *l. si quis. 4. in fin. pr. ff. de leg. 1. & nihil esse mali, honesti hominis nomen assumere in l. facta. 63. §. si vero. 10. ff. ad Sct. Trebell.* Neque poterant Legislatores sine prudentiæ offensâ rationem mutandorum nominum prohibere, ne civibus innatum gloriæ amorem extinguere voluisse viderentur. Nihil namque æquè gloriosum quàm Majorum res gestas superare & nativum stemma reddere magis honoratum.

rum. Nemini vitio vertitur augmentum avitæ profapia; qui ergo immutatio nominis? Utrumq; enim generosæ mentis indicium est. Si dixeris, vanum esse laudis aucupium, si posteros videas degenerare & vix antiquo nomine se dignos efficere: adeoque illis magis nocere temerè mutati nominis honorem, quàm pristini modestiam. Nemo tamen unquam cordatus à vero virtutis tramite idè deflectit, quòd reliquos subsecuturos fore desperet. Ipsa progenies stultitiæ suæ dabit pœnam, quòd parentum vestigia si non antevertere, deserere tamen maluerit & post se relinquere.

XXXIV. Et servis quidem nomen mutare non licere, fatentur omnes *per h. l. n.* Rationem nonnulli ponunt, ne faciliùs aufugerent dominorumque eluderent curam in vestigando. *vid. Bl. in Proem. Cod. n. 3. Menoch. de arbit. jud. quest. lib. 2. cas. 318. n. 18.* sed verius est, non solum ob summam dominorum in eos potestatem id fieri. *arg. S. 1. Inst. de hù, qui sui vel alien. jur. l. quod attinet. 32. ff. de R. l. l. 2. § 2. ff. ad L. Aquil.* sed maxime, quòd nomina ipsis ab Hero imponuntur adeoque sine ejus consensu mutari nequeunt. *arg. L. N. ibiq; Brunneinan. in pr.* Erant namq; servis nomina peculiaria, dominorum voluntate imposta. *Vid. M. Ter. Varro lib. 1. de Analog. qualia passim in ff. nostris celebrantur, Stichus, Dama, Pamphilus, Eros, Arescusa, Pamphila: rarius, Felicissimus, Felicissima in l. uxorem. 4. l. §. 3. ff. de leg. 3. Scopus vel Scorpius in l. uxori. 24. §. 1. ff. de usufr. leg. Pardula in l. tabernam. 7. ff. de instr. leg. quæ absq; horum arbitrio immutari, infra dignitatem erat herilem. Salicet. ad h. l. n. Alciat. 9. parerg. cap. 16. Anton. Augustin. Emendat. lib. 3. cap. 8. circ. pr. Hòpingk de jur. insign. cap. 21. n. 186. 244 & 248.* Servos binominos fuisse negat Ant. August. d. l. per l. cum precum. 9. C. de liber. caus. contra Theophilum, qui ad §. 1. Inst. de eo, cui libert. caus. bon. addic. Pompilium Rufum docet fuisse servum. Cui patronari videtur l. Cajus. 23. ff. de manumiss. Hòpingk de jur. insign. d. cap. 21. n. 244 & l. quæro. 32. §. 2. ff. de testam. tutel. sed si quis penitus illos textus inspiciat, parum ad rem faciunt. *Vid. Gothofred. ad l. fm. ff. de instit. alt. & d. l. 9. C. de liberal. caus. Crispin. in Not. ad §. 1. Inst. qui testam. fac. Id certissimum, manumissos nomen patronorum assumisse. Gothofr. d. l. Vid. supr. th. 23. Et hodie*

hodie apud Turcas Algirenses si libertus Orcinus in funere Patroni lacrymas non effundat, libertate indignus videtur. *Relat. Aronde de sua captivitate. pag. m. 146.*

XXXV. Sed quæri posset, An filiusfamil. quoque nomina sua mutare sit interdictum? Id negandum suadet *l. n. & l. ad recognoscendos. 10. C. de ingen. manum.* Quò DD. ferè omnes, quos vidimus, inclinant; quippe qui servos solos eximunt. Neque tamen contrarium defendere dubitamus. Nam quæ ratio in servis, eadem hic militat. Fortè dixeris: Ita neminem hodie mutare nomen posse, quòd fermè cuivis illud à Parentibus vel eorum gratia à Parrinis id imponatur: sed nihil inde absurdi. Facile namque hæc concedimus, si Autores nominum reclamant. Sed & idem in pupillis vel adolescentibus asseremus, qui absq; tutorum vel curatorum voluntate mutare nomen vix poterunt. Nam, uti illi in parentum præjudicium id facere prohibentur. *arg. l. n.* ita hi conditionem suam meliorem minimè reddent; quòd, uti in proverbio est, omnis mutatio periculosa. Et hinc DD. in hominibus planè liberis interdum nominum mutationem non admittunt; ut, si agatur de mutatione nominis Notarij. *Felin. in cap. ea, qua X. 16. de Simon. Barth. Chassan. in Catalog. Glor. Mun. part. 1. confid. 38. conclus. 31. & 33. Fr. Vivian. Comin. opin. 540. n. 4. aut celeberrimi Mercatoris. Menoch. d. cas. 318. n. 24. vid. infr. th. 47.* Quæ ut distinctius proponatur, ob dignitatem mutatam & boni omnis causâ, ob memoriam Patronorum, Patriæ vel casuum fatalium; ob nominum majorem elegantiam, ob eorum turpitudinem & ambiguitatem evitandam, ob avertenda pericula in liberis personis mutationem nominum esse licitam, ordine declarabimus.

XXXVI. Et (1.) quidem in novis dignitatibus mutata fuisse nomina, vel ex sacris literis edocemur, exemplo Abrahami. *Genes. 17. 5. Saræ. ibid. 15. Jacobi. Genes. 32. 28. Danielis & sociorum. Dan. 1. 7. Petri. Marc. 3. 17. Luc. 6. 14. Ioh. 1. 42. fratrum Zebedæorum. Marc. d. l. Pauli. Act. Apostol. 13. 9.* Quam veram causam nonnulli arbitrantur istius originis, quâ Pontifices Romani statim ab ipsâ electione nomen mutare soleant. *Vid. Gl. in Proem. decretal. in 6. in voc. Bonifacius. Resaur. Castald. de Imperat. quest.*

sih

quest. 40. n. 1. Menoch. d. l. n. 5. Viv. d. l. n. 5. Add. inf. th. 43. Ita qui in Religioforum ordinem apud Pontificios, uti olim virgines Vestales, adoptantur, vetera nomina deponere solent & nova assumere. Menoch. d. l. num. 7. Majorag. in Orat. 10. p. 245. quod interdum in Confirmatione quoque observatur. Belöld. in Thesaur. lit. N. n. 9. in voc. *Rahmen* in fin. Limn. jur. publ. lib. 1. c. 11. n. 54. & seq. Ziegl. ad Lancellot. Inflit. iur. Canon. §. 4. de Sacram. Chrismat. Ita Carolus IV. cum in baptismo dictus esset *Wenceslaus*, in Confirmatione postea à Rege Fraciæ Carolo, apud quem pueritiæ rudimenta exegit, *Carolus* appellatus est. Cuspinian. in Carolo IV. in pr. Limn. 1. P. lib. 1. cap. 11. num. 47. Codomanno ob memoriam pristinæ virtutis in Persis Regi constituto, ne quid Regiæ Majestati deesset, Darij nomen additum. Justin. lib. 10. in fin. Et Galerius Maximinus, ex sorore Galerij Maximiani ante Imperium *Daza* dictus fuit. Sext. Aurel. Viç. in Epitom. Add. supr. ib. 6.

XXXVII. Boni omnis quoque causâ & olim & hodie nova esse nomina assumpta constat; quale olim nomen Cæsaris, Augusti, Antonini, ferè omnibus Imp. commune factum. Vid. Nov. 78. cap. 5. Lamprid. in Alexand. Severo in pr. Illius hodiernum apud M. Moscovitarum Ducem reliquiæ sunt in voce *Czar*. Ita olim apud Parthos Reges nomen *Arfacis*; ap. Ægyptios *Ptolomæorum* & postea *Calipharum*; hodie apud Turcas Sultanorum, Tartaros Chanorum familiare; quomodo Perfarum Rex *sophi*, Indorum *Mogol*, Abyssinorum *Prategian* cognominari amant. Höpingk de jur. insign. cap. 21. num. 10. 77. & seqq. uti Reges Galliarum *Christianissimi*, Hispaniarum *Catholici*, Britannicæ *defensores fidei*. Limn. 1. P. lib. 2. cap. 6. n. 19. & seqq. Höpingk d. l. cap. 22. n. 39. & seqq. Ipse Scaliger refert, cum Pater in baptismo *Canem* imperasset, ut *Majorum suorum* quasi inauguratione quadâ, si potentia non posset, memoriam renovaret, Paulum à *Midelburgo*, postmodum Episcopum *Foro Semproniensem*, nomen *Iulij Cæsaris* substituisse; quam diceret, *Canes tui suâ fortuna defuncti sunt. Hunc Dictatorem alterius fati, novi sane, caput esse oportet.* in Exercitat. 266. post pr.

XXXVIII. (3.) Patronorum memoriam liberti non solum adscitio nomine venerabantur, uti dictum; sed quoque liberi adoptivi.

D

adoptivi. Nam postquam C. Octavius à Julio Cæsare, adoptatus esset, deinde C. Julius Cæsar Octavianus dictus fuit. Vid. Anton. Augustin. lib. 3. Emendat. cap. 8. ubi addit, eodem modo à Iulius, Marcellus, Domitius, Pomponius, descendisse nomina Iulianorum, Marcellinorum, Domitianorum, Pomponianorum &c. Extranei quoque heredes vel ex voluntate testatoris vel suâ sponte ejus nomen assu-
mebant. arg. l. facta. 63. §. si verò. 10. ff. ad S. Trebell. Alciat. lib. 9. Parerg. 16. & lib. 4. distinct. cap. 1. vid. supr. th. 30. uti etiamnum in plurimis familiis reperire licet. Ita tamen, ut vetus nomen non penitus derelinquatur, sed novû per voc. aliàs adjiciatur. Gul. Bened. in cap. Raynutius. X. de testam. in voc. Raynutius de Clerâ n. 44. 47. & seqq. Imò & peregrini, civitate donati, nomen Romanum assu-
mebant, ejus præcipuè, in cujus clientelam se tradebant vel cujus operâ jus illud impetraverant. Ita Caburus Gallus à C. Valerio Flacco dictus est C. Valerius Caburus. Alciat. d. cap. 16. Augustin. d. cap. 8. Fertur Princeps Umbertus anno 1349. Regi Galliæ Delphinatum hac lege cessisse, ut filius natus maximus Delphinus diceretur. Abrah. Gôlniz in Itinerar. in descript. Gratiopol. & Vien-
ne. Hépingk d. cap. 21. n. 136. In gratiam Antiochi Regis, Judæorum Pontifex Iesus non solû ritus gentilitios, sed nomina quo-
que amplexus est & Iason appellari voluit, uti Menelaus, frater O-
nias. vid. Josephus lib. 12. Antiquit. cap. 6. & lib. 2. Maccab. 4. 10. & seqq.

XXXIX. (4.) De iis, qui à patriâ cognomen sortiti sunt, Majoragus, (qui & ipse à vico Majoragio ita dictus. Thuan. hi-
stor. lib. 16. ad ann. 1555.) adducit Andream Alciatum, Erasmmum Roterodamensem, Antonium Nebrissensem, Petrum Marsum, Antonium Volscum, Raphaëlem Volaterranû, Antonium Min-
turnum, infinitosq; alios literatos, qui relicto familiæ nomine, à loco, ubi nati sint, sibi cognomen assumerint. In Orat. X. pag. 249. Ex Nostratibus præter Alciatum huc referri possunt Azo Bononiensis, Accursius Florentinus, Bartolus de Saxoferrato, Baldus & Angelus Perusini, Paul. Castrensis, Ang. Arerinus, Joh. & Alex. Imolenses &c. Apud Græcos & Latinos quoq; id observatum, ut prætermis-
sis gentis atque familiæ nominibus, à regionibus vel civitatibus fuerint appellati. Ita Aristotelem inscribi Stagiritem, Platonem Atheniensem, Euclidem Megarensem, Theodorum Cyreniacum, Pythagoram Samium, Gorgiam

giam Leontinum, Pindarum Thebanum, Pittacum Mitylenæum, Livium Patavinum, Apuleum Madaurensem, Lucanum Cordubensem, Silium Italicum, Aufonium Burdegalensem tradit Majorag. *d. l. pag. 254*. Et superiore sanè seculo in Literatis nihil frequentius, quàm à loco nomen sibi derivare, ut si non ipsos Patria, ipsi tamen natale solum illustrarent. Documento sunt Andr. Carolstadius, Joh. Sleidanus, Gemma Frisius, Vigl. Zuichemus, Georg. Pontanus, Phil. Cominaeus, Georg. Joach. Rhæticus, Henr. Glareanus, Joh. Mullerus Regiomontanus, P. Mosellanus, Joh. Avénrinus, Hadr. Barlandus, Hartm. Hartman. ab Eppingen. Georg. Callander &c. *vid. Melch. Adam. in hor. vii. & Thuan. ibid.*

XL. (5) A variis fortunæ eventibus nomina desumpta & mutata docet *Agypparum* nomen, quasi ægrè & præposterè natorum. *Plin. lib. 7. Nat. Histor. cap. 8. & Cesarum, sive Cæsonum, à cæso matris utero dictorum. ibid. cap. 9. vid. sup. th. 20. T. Manlius, Torquatus* dictus, quòd provocanti Gallo & occiso aureum torquem detraxisset. *Cic. lib. 3. Offic. Liv. lib. 7. & M. Valerius Corvinus* dictus, quòd in duello cum adversario Gallo congressus in sperato corvi auxilio victor evasisset. *Gell. Noct. Attic. lib. 9. cap. 11. Longè antè Judæorum Legislator Moyses* ita vocatus, quòd projectus in profluentem servatus esset. *Joseph. 2. antiquit. cap. 5. Pompeij M. Pater*, quòd coco *Menogeni* similis esset, sordidum ejus nomen à se repellere non valuit. *Val. Max. lib. 9. cap. 14. num. 2. Plin. lib. 7. Hist. Nat. cap. 12. Idem contigit Cornelio Scipioni*, eximia nobilitatis adolescenti, qui ob eandem rationem in servilem *Serapionis* appellationem vulgi sermone impactus est. *Val. Max. d. l. n. 3. & seqq. ubi plura exempla. Carolus Martellus G. R. id cognomentum idèd accepisse dicitur, quòd instar Martelli vires hostium contudisset; & Hugo Capetus, quòd Caputia per ludum aliis auferebat. Gul. Bened. in cap. Raynuitus 16. X. de testam. in voc. Raynut de Cler. à. n. 56. De Scarbico, Comite Polono ad Henricū V. Imp. Legato, quare ipse & ejus familia Habdancici cognomen assumerint, ex Mart. Cramer. lib. 5. histor. Polon. tradit Hôpingk d. cap. 21. de jur. insign. n. 109. Quare Matthias Hung. R. Corvinus dictus & corvi annulum ore tenentis symbolo sit usus; vid. Anton. Bonfin. Rev. Hungar. decad. 3. lib. 9. circ. fin.*

Add. Joach. Cureum in *descript. Siles. part. 1.* qui aliam istius symboli rationem affert.

XLI. (6.) Ob linguae Latinae ac Graecae amorem vel euphoniā *Desiderius Erasmus*, cum revera *Gerardus Gerardi* appellaretur, vocari voluit, quod utrumque vocabulum cum illo in Belgico idiomate (*Ger. Gersen*) cognationem videretur habere. Melch. Adam. in *vit. Erasmi*. Ita Joh. Capnio pro *Reuchlin*; Philipp. Melanchthon pro *Schwarzerd*; Joh. Naucler^o pro *Bergeshans*; Leonh. Dasylycus pro *Kauwolff*; Sam. Siderocrates pro *Eisenmenger*; Gregor. Haloander pro *Hoffman*; Mart. Amelius pro *Achtent*; Joh. Oporinus pro *Herbst*; Xyst. Betuleius pro *Bird*; Bern. Latrensis pro *Ziegler*; P. Appianus pro *Bienewitz*; Seb. Ticio pro *Brandt*; Jan. Cornelius pro *Brimpel* vel *Hagenput*; Hier. Tragus pro *Hock*; Itelvolfus de Lapide pro *vom Stein*; Georg. Calaminus pro *Röricht*; Georg. Pylander pro *Thornman* &c. Vid. passim Melch. Ad. in *Illor. Vit.* Ad eundem modum Andr. Osiander, Mich. Neander, Guil. Xylander, Val. Erythraeus, Georg. Macropedius, Conr. Dasypodius, Gerard. Mercator, Bonav. Vulcanius, Lazar. Bonamicus, Georg. Agricola, Joh. Sinapius, Ant. Niger, Gregor. Pistorius, Mich. Toxites, Joh. Calvinus, Claud. Cantiumcula, Joh. Opsopæus, Angel. Caninius, Joh. Ferus, Th. Erasmus, Remb. Dodonæus, Joh. Rivius, Caspar Scipio aliique plures nomina sua mutarunt.

XLII. Et hæc quoque causa fuit, quod *Antonius Majoragi*, cum antea *Antonius Maria* vocatur, (quorum alterum tanquam lustricum, alterum à matre in honorem B. virginis additum) ita dici voluit ad exemplum *M. Antonij* Flamini; qui olim *Antonius* quoque *Maria* dicebatur. in *Orat. X. p. 224. & 242. & seq.* ubi docet, idem contigisse in *Bapt. Egnatio*, qui antea *Ioh. de Cipellis*; in *Fabio Vigili*, qui antea *Fabianus Vetula*; in *Pierio Valeriano*, qui antea *Petrus Valerij*; in *Phedro Volaterrano*, qui antea *Thomas Ingeramius*; in *Angelo Politiano*, qui antea *de monte Pulciano*; in *Domitio Calderino*, qui antea *Dominicus de Caldariis*; in *Iano Parrhasio*, qui prius *Ioh. Paul. de Parisiis* dicebantur. Ita olim *Fr. Petrarca* ob euphoniā vel nominis amplificationem; cum aliās à Patre *Petrachus* diceretur, nominari voluit. *Jac. Phil. Tomasin*, in *Petrarch. reditivy. ex Ianno; Manet.*

10. p. 195. Ex Germanis Georg. Sabinus, antea Schülerus; Jac. Micylus, antea Wicker; Theophrastus Paracelsus, aliàs Bombastus ab Sohenheim; Joh. Caselius, aliàs Chesselius; Georg. Marius, aliàs Meter; Alb. Thorinus, aliàs Winretthur; Joh. Dubrāvius, aliàs Scala dici maluerunt. Vid. Melch. Adam. in *Vit. Illoz.* Lepidē Pomp. Lærus, cū à Paulo II. reprehenderetur, quōd, cū antea Fernardinus vocaretur; se Pomponium Lærum vocari juberet: quid hoc, inquit, ad Te, Pontifex M. An sine Fœniculum appellare voluisti, id reprehenderes? Risit ad hanc responsionem Pontifex, neque illum impediendum esse censuit, quō minus suo sibi arbitrio nomen adopraret. Majorag. d. *Orat. X. pag. 244. & seqq.*

XLIII. (7.) Ob turpitudinem & malum omen ipse Imper. frivolum nomen & ridiculum *Dupondiorum*, quasi studioforum diobolarium, in Justinianos novos mutavit in *Constit. omnem. S. 2.* ibique Gothofred. de *rat. & meth. jur. doc.* Anton. Augustin. lib. 3. emend. cap. 8. circ. fin. Nam Romani invidiosa & molesta nomina minimè ferebant. vid. Halicarnass. lib. 5. circ. fin. *antiquit. Rom. ubi de nomine Dictatoris agit.* Et in lustrando exercitu deducendaq; colonia id agebant, ut boni ominis esset ille, qui primus lustraretur. Vid. Cic. de *divinat. lib. 1. & Tac. lib. 4. histor.* Erant autem fausta nomina *Salvius, Longinus, Stratorius* &c. uti contra infausta *Curtius, Minutius, Furius, Hostilius* &c. Höpingk. de *jur. insign. cap. 21. n. 250. Add. supr. ib. 19.* Ita Pythagoras quoque ob malum omen nomina mutanda tradebat. Cū Hectoris F. à mulierculis *Scamandricus*, tanquam infelix, dictus fuisset, eum viri *Astyanacten*, id est civitatis Regem, vocarunt. *ib. n. 98.* Quī Constantini M. tempore crucem Domini invenerat pro *Iude* nomen *Cyriaci* accepit. *Platin. in vit. Pontif. in Euseb. 1.* Et hinc mutati nominis à Sergio II. originem esse communiter volunt, eum antea *Bocia de Porco* seu *Os Porci* vel *Os Porcius* appellaretur. vid. *Menoch. lib. 2. de arbitr. iud. question. cas. 318. num. 4.* M. Stephan. de *jur. lib. 3. part. 1. cap. 2. num. 17. & seq. Limn. 1. P. lib. 1. cap. 11. n. 65. & seqq.* Höpingk. d. l. n. 160. & seqq. Ipse *Platina*, Sunt qui *Sergium* primū quidem *Os Porci* appellatum fuisse dicant, & ob turpitudinem cognōmenti *Sergij* nomen sum fuisse eamque consuetudinem ad nostros manasse, ut, qui Pontifices crearen-

tur, suo omisso Majorum nomina sibi inderent, licet ab omnibus non sit observatum. In Sergio II. Add. Joh. Stella *ibid.*

XLIX. (8.) Ambiguitatis vitandæ causâ Majoragus, cum olim Majores à Comitibus (à Desiderij namque Longobardorum Regis sorore progeneriti & ab illo Comites creati) & postmodum ob sermonis elegantiam, quoddam prior dictio à consuetudine latini sermonis abhorreret, Comites dicerentur; id nominis omissum ait, ne sibi aliquando contingeret, quod Primo Comiti consobrino acciderat. Nam cum hic in Germaniam ad Erasmus literas dedisset, quibus adventus sui causam declarabat, cum subscriptione, uti fit, *Tui studiosissimus, Primus Comes Mediolanensis.* Ille crediderat, magnum aliquem adesse Principem sui visendi gratiâ, & licet admodum senex & infirmus esset, obviam longè processerat: sed postquam homunculum unum, nullo comitatu neque elegantiori cultu vestitum reperit, errorem suum jucundissimè ridere cepit &c. in *Orat. X. pag. 248. & seq.* ubi addit, *se quoque, propterea non semel à rerum ignavis uti Principem & Clarissimum Comitem appellatum.* Cum Paulo Scalichio objiceretur varietas nominis: respondit *Ioh. Snellius, Ictus*, quoddam uno in loco *Scalichius*, in altero *Scalitz*, in tertio *Scaliscus*, &c. nuncupetur, id præjudicare illi non posse. Ipsum namque moribus terrarum se accommodare; neque mores terrarum ipsi cedere debere. Respons. *Ichor. in caus. Paul. Scaligeri contra Albert. Truchesium pag. 273.*

XLV. (9.) Tandem ad minuendos sumtus (quo nihil hodiè inter Magnates frequentius) vel evitandum periculum mutari nomina probatur. *arg. l. ad recognoscendos. 10. ibi: ob celandos natales. C. de ingen. manumiss.* Nam ignoscendum est ei, qui sanguinem suum qualitercunque redemptum vult. *l. 1. ff. de bon. eor. qui ante sentent. putà si ad fallendos hostes vel latrones fiat mutatio. Hépingk de jur. insignium cap. 21. num. 181. Jodoc. Damhoud. in pract. rer. criminal. cap. 123. num. 11. Nemo vitio veritatis M. Volusio ædili plebis, quoddam proscribitus assumpto Isiaci habitu per itinera viasque publicas stipem petens, quisnam revera esset, occurrentes dignoscere passus non est, eoque fallaciæ genere rectus in M. Bruti castra pervenit. *Valer. Max. lib. 7. cap. 3. n. 8. Neque Sentio Saturnino, quoddam Præturæ insignia usurparet,**

paret, præcedentibus in modum licitorum & apparitorum publicorumque servorum subornatis, ad effugiendam proscritionem triumviralem; atque ita in maxima luce densissimas hostilibus oculis tenebras offuderit. *ibid. n. 9.* Ita cum ad Valent. Imp. delatum esset, Nigromantas quosdam per 24. literas pulveri inscriptas divinatione galli gallinæ quasi visse, quis postea imperaturus esset, & ille, re cognita, literas Θ. Ε. Ο. Δ. esse, ex quibus ejus nomen inciperet; complures *Theodoros, Theodosios, Theodatos* & similiter appellatos interfici iussisset; multi præ metu nomina à parentibus imposita tanquam plena periculi abnegarunt; uti ex *Socrat. 4. Histor. Eccles. cap. 15.* tradit Höpingk. *d. l. cap. 21. num. 181.* Pro tutelâ itaque innocentia, minimè verò ad palliationem delicti mutatio nominum permissa. *arg. can. pen. ibi: quod velis nomen ei imponas &c. caus. 14. quest. 3. & arg. cap. in tantum. 36. ibi: ut causam recipiendi dissimulent, nomen denariorum variant. X. de Simon. cap. quod alicui. 67. de R. I. in 6. Gl. in cap. ea que. 16. in verb. appellatis. X. d. t. Felin. in d. cap. 16. in pr. cod. Höpingk. d. l. n. 182. vid. *inf. th. 47.**

XLIV. Ex his similibusq; causis nomina mutari vetitum minimè est, multò minus, si id fiat exercitii gratiâ in dramatis vel comædiis aut ex joco. *arg. l. 3. §. fin. ff. de O. & A. l. 3. in fin. ff. de injur. Damhoud. d. c. 123. n. 11. in fin. Höpingk. d. l. n. 179.* Extra culpam igitur quis erit, qui per anagrammata ludere amet & pro *Johannes Bodinus* ponere *Andius sine bono*; pro *Calvinus, Lucianus*; pro *Beza, Seba*; pro *Eva, Ave*; pro *Erasmus, Erasmus*; pro *Alstedius, Sedulitas*; pro *Gustavus, Augustus* &c. Cæterum in detrimentû & fraudem alterius mutare nomen nemini concessum est per *h. l. n. ibique Brunne-man. Fr. Vivius Commun. opin. 540. circa fin.* & illud quidem, quia consilium suum in alterius injuriam mutare non licet. *l. nemo. 75. ff. de R. I. cap. mutare. 33. eod. in 6. ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur. l. non debet. 74. de R. I.* Nam factum cuique suum, non adversario nocere debet. *l. factum. 155. ff. eodem. ne is ex alieno damno locuples fiat. l. cum bi. 8. §. si quis 22. ff. de transact. contra jus naturæ. l. jure. 206. ff. de R. I. l. nam hoc. 14. ff. de condict. indeb.* Hoc verò, quia leges minimè volunt, ut *fraus & dolus* quenquam relevent. *l. verum est. 63. §. hoc quoq; 7 ff. pro soc. aut cuiquam patrocinentur. cap. sedes. 15. & seq.*

seq. de rescript. c. cum olim. 33. X. & de offic. judic. deleg. cap. ad nostram. 5. X. de emtion. multo minus, ut quis doli sui præmium ferat. l. ita demum. 31. pr. ff. de recept. qui arbit. l. i. l. ne ex dolo. 12. ff. de dol. mal. l. itaq. 12. §. 1. l. eum, qui. 14. §. 2. ff. de furi. l. pen. C. de legat. cap. 1. X. de eo, qui dux. in matrimon. Ubi ergo dolus vel fraus abest, etiam si res mihi profit, mutare nomen licet; quo sensu accipimus, quod docente Bl. qui Gibellinus sit, possit assumere nomen Guelphorum, ut habilis sit ad officium in l. 1. C. ad L. Vissell. & in l. filium. 7. C. de suis & legit. Felin. in Proem. X. in voc. Gregorius n. 36.

XLVII. Solet autem nomen in alterius præjudicium mutari, ubi illud assumitur, quod jam alterius est, si is ex eo damnum sentiat. arg. l. mine. 4. C. de Episc. aud. cap. dilecta. 14. X. de excess. Prelat. Gul. Bened. in cap. Raynutius. de testam. in verb. Rayna. de Clero n. 57. & seqq. & n. 48. ubi nervosè, Nominis aut mutationem non debere fieri in fraudem alicujus, nec propter superbiam, factum aut proprium familiæ contemptum vel alterius denigrationem aut proprii vitij occultationem. Nam sicuti concessum non est, alterius fortè insignis pictoris vel fabri, qui in gladiis & operibus suis familiare habet signum, quo illa certi artificis esse dignoscuntur, atque ita promittunt venduntur, insigne assumere, ne opus unius confusissimè pro alterius vendideretur. arg. cap. in nonnullis. 15. pr. X. de judic. l. un. in pr. C. de Lat. libert. toll. Cassan. in Catalog. glor. mund. part. 1. confid. 38. conclus. 32. & 34. per tot. Guil. Benedic. d. l. n. 59. ita neque nomen; quodd eadem ubique sit ratio; & alias argumentum ab insignibus ad nomen & contra, benè procedat. Cassan. d. l. conclus. 31. Höpingsk. de jur. insign. cap. 14. n. 14. & cap. 21. in pr. & num. 199. Hinc Lud. Gonzaga, Nivernensium Dux, ad quem dotalis Principatus Retensis legitimâ successione pertinebat; impatientissimè tulit, Ant. Sanpaulum E. T. Ducis Retensium ritulos sibi sumsisse; ac minatus est, sicubi illum nancisceretur, fore, ut illi ad proximam arborem coronâ ducali prius ad ludibrium insignito, gulam frangeret. Thuan. lib. 110. ad ann. 1594. Contra Georg. Armeniacum Card. ex Petro insulæ Jordanis Comite natum, qui naturalis erat filius Caroli VII. Armeniaci, id nomen tanquam magis illustre, Henrici Labretani, Navarræ R. & Armeniacæ familiæ hæredis beneficio assumis-
tis



tis fuit persuasum. *Id. lib. 82. in fin. ad ann. 1585.* Quod si tamen
 idè quis alterius familiæ nomen induit, ut se pro agnato ge-
 rat, uti fecit quidam carnifex, qui honesti & probi Advocati
 nomen sibi arrogat, ut ejus existimationem læderet, aut, ne
 id faceret, pecuniam ab eo extorqueret, meritò tanquam fal-
 sarius punitur. *Ant. Fab. in suo Cod. ad h. l. n. defm. 1. ubi carnificens
 illum virgis cæsum & exilio multatum ait.*

XLVIII. Fraus illa committitur duobus modis (1) ubi
 quis non dissimulatâ personâ aliud nomen assumit, vel (2) ubi
 quis aliam personam adeoque & nomen mentitur. Menoch,
de arbitr. jud. quæstion. lib. 2. cas. 318. n. 19. Bened. Carpzov. *Praz.
 Criminal. part. 2. quæst. 93. n. 34. & seqq.* Prioris generis exempla
 DD. allegant, ut inde fraudis præsumtio nascatur; si quis in-
 ventus de nocte cum armis vel in loco prohibito interroganti
 fortè Officiali de nomine, pro A. responderet B. *Salic. ad h. l. n. vid.
 supr. ib. 45.* si quis in contractu vel alio negotio alterius nomen
 assumat. *Bl. in rubr. de fid. instrum. Felin. in Proem. X. in verb. Grego-
 rius. n. 37.* mercator vestigialis fraudandi gratia se studiosum ef-
 se dicat. *Brunneman. ad h. l. n.* si quis de hæresi suspectus nomen
 peregrè mutet, uti hæresiarcha fecit David Georgii, qui ut magis
 Basileæ lateret, *Joh. Bruckii sive Binningensis* nomen à coëmptis
 prædiis sibi adscivit. *Thuan. lib. 22. ad ann. 1559.* si quis cum no-
 mine vestes mutet. *Höpingk d. cap. 21. n. 179. Fac. cap. si judex. 12.
 de sent. excommun. in 6.* Præsumtio illa præcaveri potest, si quis
 tempestivè prædicat, se nominis mutationem fecisse & impo-
 sterum ita esse vocandum. *Salic. ad h. l. n.* quæ prædictio maxi-
 mè quoque necessaria ad tollendam confusionem, ubi nomina
 civium publicis rationibus vel libris æstimi, uti vocantur, sunt
 inferra. *Felin. d. n. 37.*

XLIX. Posterioris generis sunt, qui ob similitudinem
 ferè aliorum personas induerunt; quales superiori seculo Pseudo-
 Mustafas, Turcarum Princeps. *Thuan. lib. 24. histor. ad ann.
 1555.* Pseudo-filius Pii V. Pontificis. *Menoch. d. l. n. 32.* Cornelius
 Hageus, Caroli V. Imp. *Thuan. lib. 77. ad ann. 1583.* Fr. Rameus,
 Caroli IX. G. R. filius subdititius, *Thuan. lib. 117. ad ann. 1596.*
 & omnium audacissimus Arnoldus Tillius sive de Tilla, qui
 Martini Guerræ adhuc viventis personam tantâ calliditate
 sustinuit, ut per aliquot annos cum illius uxore tanquam ma-
 ritus

E ritus

ritus viveret filiamq; ex eâ susciperet &c. Thuan. lib. 26. ad ann. 1560. Joh. Coraf. in *Arresto sive Placito Parlam. Tholof. per tot. Menoch. d. l. n. 33.* Et nostro hoc seculo hujusmodi fuisse falsarij creduntur Pseudo-Sebastianus, Portugall. R. Thuan. lib. 126. ad ann. 1601. Pseudo-Demetrius, M. Moscoviæ Dux. Thuan. lib. 135. ad ann. 1605. Quod facit *Historia de tribus huius seculi famosis impostoribus*, nempe *Padre Ottomanno, Mahomet-Bei & Sabatai Sevi*, ex idiomate Anglico non ita pridem in vernaculum translata. Similia exempla olim in Pseudo-Smerde. Herodot. lib. 3. Justin. lib. 1. in Pseudo-Graccho - Mario - Octavio - Sertorio - Clodio - Dione - Ariarathe & Pseudo-Rubria muliere. Val. Max. lib. 19. cap. fin. in Pseudo-Philippo. Liv. lib. 48. Pseudo-Alexandris, altero Antiochi F. Appian. de bell. Syriac. circa fin. altero Herodis F. Joseph. 17. antiquit. Iudæic. cap. 14. Pseudo-Agrippâ. Tac. 2. Annal. Pseudo-Nerone. Sueton. in Neron. in fin. Pseudo-Balduino. P. Amyl. de reb. gest. Francor. lib. 7. circ. pr. Alb. Krantz. Vandal. lib. 10. cap. 7. Pseudo-Eduardo. Fr. Verulam. in Vit. Henrici VII. A. R. Pseudo-Olao. Joh. Meurf. in Histor. Dan. in Margaretha Dan. R. Krantz. d. cap. 7. Pseudo-Friderico II. Annal. Saxon. ad ann. 1286. Krantz. Vandal. lib. 7. cap. 39. Pseudo-Valdemaro. Annal. Saxon. ad ann. 1348. Joh. Micræl. Posmeran. lib. 3. n. 29. & 31.

L. Sed annon Jacob Esavi personam repræsentavit & præmium fraudis reportavit? *Genes. cap. 27. per tot.* Ita videtur. Neque tamen reprehenditur, sed commendatur. Verè enim primogenitus erat. *cap. queritur. 22. caus. 22. q. 3.* Coraf. in d. *Arrest. Annotat. 82. Fac. cap. gaudemus. 8. vers. Nec ulli. X. de divort. Verè autem falsarij in hoc genere etsi ob callidum commentum in exemplum coërceri debeant. l. quamvis. 8. in fin. ff. de reb. eor. qui sub tutel. & congruenti penâ affici. l. fin. C. de serv. aus libert. ad de-curionat. imò penâ falsi teneantur. l. falsi. 13. pr. ff. ad L. Cornel. de fals. (quæ, quamvis olim in libero homine ignis & aquæ interdictio, in servo ultimum supplicium. l. 1. §. fin. ff. ad L. Cornel. de fals. hodiè dicitur esse arbitraria juxta qualitatem & circumstantiam facti & ad prudentiam & discretionem judicis. arg. l. 1. §. 1. ff. de effract. & expilator. Felin. in Proem. Gregor. d. l. num. 37. & seq. Menoch. d. cas. 318. n. 20. & seq. & num. fin. Damhoud. in Prax. Criminal. c. 123. n. 10.) Plerique tamen illoꝝ, quos supra*

prà allegavimus, mortis supplicio affecti ob aliorum criminum graviorum societatem. In Pseudo-Alexandrum, Herodis F. Augustus Imp. non tam severus fuisse dicitur, quam rei gravitas poscere videbatur, quippe quem satis habuerat, ad remigum pœnam condemnare. Joseph. d. c. 14. At Pontifex Clemens III. quum de eo sacerdote scribit, qui filij regij nomine ementito populum ad bella civilia commoverat, illiusque audaciæ pœnas flagris primùm cæsus, deinde suspensus luit, in dubium vocare videtur, annon qui tali eum morte affecterunt, excommunicationi obnoxij fuerint. in cap. perpendimus. 23. X. de sent. excomm. Tillius sanè iste, de quo supra, ex sententia Tholosanorum, tanquam impostor ac falsi & suppositi nominis reus, idemque adulter, raptor, sacrilegus, plagiarius, fur, ad suspendium est damnatus, bonis filix superstiti ex Guerræ uxore susceptæ adjudicatis. Thuan. histor. d. lib. 26. Coraf. ad d. Arestum annot. 82. in fin. & seqq.

LI. Hactenus igitur, ni fallor, satis constare poterit, quibus casibus liceat mutare nomen, quibus non; ubi meritò addendum, prohiberi id quoque posse ex Majorum instituto vel consuetudine, ut certa nomina vel assumantur perpetuò, vel etiam evitentur. Apud Athenienses vetitum, ne quis servilis conditionis homini nomina Harmodij & Aristogitonis, qui ad tyrannidem Pisistratarum evertendam autores fuerant, inderet; quòd nefas ducerent, nomina libertati patriæ devota servili contagio pollui. Thucyd. bell. Peloponn. lib. 6. Gell. lib. 9. noct. Attic. c. 2. Cum Manlius regnum affectasset, ex gentis Manliæ decreto cautum, ne quis imposterum Manlius vocaretur & ne quis patricius in Capitolio habitaret, ubi ipse domum habuerat. Val. Max. lib. 6. cap. 3. n. 1. Höpingk de jur. insign. c. 19. n. 160. quod & olim & nunc in perduellibus valde usuratum, ut eorum nomen pariter & memoria aboleatur, Liberi que maternum nomen adsciscant. Id. d. n. 160. & seq. c. 21. num. 261. & seqq. Thuan. lib. 124. circ. fin. ad ann. 1600. Apud gentem Fabiam, ex pacto avito prænomen Numerij in usu fuit. Val. Max. de Nominib. circ. fin. uti hodie in Galliis ap. Marciani Duces nomen Roberti. Thuan. lib. 59. histor. circ. fin. ad ann. 1574. in Germaniâ nostrâ ap. Illustrissimos Dominos Russos seu Ruffios

sios in Plauett &c. qui omnes solo Nomine *Henrici* vocantur, *vid. Limn. l. P. in Add. 1. ad lib. 4. cap. 7. n. 61. in voc. Gera. pag. 545. ubi alia quoq. exempla adducit.* Cives *Ingelheimenses* in memoriam *Caroli M.* qui ibi natus creditur, liberos suos ut plurimum eo nomine insignire, tradit *Merian. in topograph. Pal. infer. in descripi. Ingelheim. pag. 31.* Contrà dicitur in Ducatu *Brunsvicensi* esse locus, ubi incolæ tanto odio prosequantur nomen *Petri*, ut omnes illi, qui ita vocentur, arceantur à dignitate senatoriâ, teste *Joh. Just. Winckelmann. in Arbor. Genealog. p. 13. n. 69. in fin.*

LII. Deberemus nunc ea, quæ in initio contra mutationem nominum adducta fuerunt, refellere; sed operam illam consilii disputatorio referuimus, properamusque ad alia, quæ nominum occasione à *DD.* notari potissimum solent; qualia sunt (1.) Rectè in dubio à nomine ad ipsam rem seu officium argumentamur. *arg. l. 1. in fin. de offic. Praef. Urb. l. defensores. 5. C. de defensor. civit. can. fin. dist. 42. cap. cum secundum. 16. in pr. X. de præben. Gl. in l. fin. C. de frum. Alexandr. & contrà arg. l. à nullo. 4. in fin. ibiq. Gl. C. de feriis l. si idem. 7. C. de Codicill. Nic. Everhard. in Loc. Topic. 4. ab Etymolog. n. 12. Wesembec. consil. 16. n. 12. Høpingk. de iur. insign. cap. 21. n. 204. & seqq.* (2.) Ex nominis identitate eadem origo præsumitur. *arg. l. fin. §. pen. ff. ad Municipal. C. I. A. ad tit. de probat. thes. 10. n. 4. Høpingk. d. l. n. 214.* Unde ipse *Cicero*, quòd ex familiâ *Tullorum* esset, addubitavit, num *Majores* à *M. Tullo Rege* originem traxissent. *Alciat. lib. 4. dispunct. cap. 1. post. pr.* (3.) Quòd meo nomine signatum, meum præsumitur. *arg. l. quod si. 14. §. 1. ff. de peric. & commod. rei vend. l. 3. C. de fabric. cap. si iudex. 12. de sent. excomm. Anton. Fab. lib. 4. Cod. tit. 14. de fin. 47.*

LIII. Ex malo nomine mali mores præsumuntur. *arg. §. 3. Inst. de donat. can. si cupis. 5. caus. 16. quest. 1. Everhard. d. l. n. 7.* Unde *DD.* propter malum nomen, si alia indicia accedant, magis reum quem fieri adeoque torturam ab eo prius inchoandam censent. *Mascard. de probat. conclus. 831. num. 22. & seqq. Menoch. lib. 1. præsumt. 89. n. 131. Fr. Viv. opin. 540. n. 7. Zanger. de tortur. cap. 2. n. 147. & cap. 4. n. 31. Lud. Gomez. ad §. sic itaq. 14. n. 7. Inst. de act. add. supr. ib. 29. in fin.* (5) Similitudo nominis patrem affectum vel odium gignit. *arg. l. cum filius. 76. §. pater. 5.*

ff. de

ff. de legat. 2. Sp. Melius, Trib. Pleb. favore nominis alterius Sp. Melij, Equitis R. qui regnum affectarat, conatus est quicquam movere. Liv. lib. 4. Duo Cn. Fulvij Romanorum Duces ab Annibale pulsi. Id. lib. 27. Ita de Mario, ferri quondam opifice, post occisum Posthumum joculariter dictum: Nequaquam mirum videri, si rem Romanam Marius rescicere contenderet, quam Marius ejusdem artis autor stirpisq; ac nominis solidavisset. M. Aurel. Vict. de Cæsarib. in Licinio Valerian. Pius IV. antè Joh. Angel. Medicinus dictus, uti quoque frater Joh. Jacobus Meleniani Marchio, Medicinæ gentis nomen & insignia usurpavit & Cosinum, familiæ Prætoriarum Regem creare voluit. Thuan. lib. 16. & 32. ad ann. 1555. & 1559. (3.) Optimum nomen nos admonere debet pulcherrimarum actionum. quæ nomine illo designantur. Ita Aristoteles, ut ad optimum finem & summum bonum omnia dirigeret; Pythagoras, ut sapientiam non modò doceret, sed & persuaderet; Socrates, ut se aliosque servaret; Plutarchus, ut veras divitias sectaretur, nominum suorum monitu invigilasse creduntur. Vid. Limn. 1. P. lib. 1. c. 11. n. 48. & seq.

LIV. (7.) Fatalia sæpe numero in Imperio Regum ac Principum sunt nomina. Darius Persicum imperium solidavit; alter Darius perdidit. In Augusto Imp. cepit Romanum Imperium, in Augustulo diminutum est, Constantinus M. Constantinopolim condidit; Constantinus Palæologus amisit. Eadem ferè ratio Philippi Maced. R. & Philippi patris Persei; Bruti Primi Cof. & Bruti interfectoris Cæsaris. Bucholcer. in indic. Chronolog. ad ann. 475. Add. Christoph. Varsev. lib. 1. & 2. Vit. Parallel. ubi alia exempla exhibet, in Car. Martello primo & ultimo RR. Franciæ; in Berengario primo & ultimo RR. Longobard. Balduino primo & ultimo RR. Hierosolymit. Alfonso primo & ultimo RR. Arragon. & Neapolit. Iagellone primo & ultimo RR. Polon. Francisco Sforziâ primo & ultimo Ducum Mediolanens. (8.) Ominosum quoque sæpius Principum nomen; quale Henricorum in Galliâ, Jacoborum in Scotiâ. Limn. d. 1. n. 75. Hépingk d. cap. 21. n. 252. Philipporum. Besold. in Theaur. Pract. lit. N. num. 9. in voc. Nahmen. in Ad-dit. in fin. Paulus II. P. M. paulum abfuit, quin Formosi nomen, ut sit, sibi inderet, quòd id nomen ei maximè convenire vide-

retur propter proceritatem corporis & majestatem. Quò minus autem id faceret, deterruere eum quidam Cardinales historiae non ignari, ne ei post mortem accideret, quod olim Formoso &c. Platin. in vit. Steph. VI.

LX. (9.) Nemo plura nomina habere praesumitur. arg. l. si in rem. 6. §. 1. in fin. ff. d. R. V. Mascard. de probat. vol. 3. conclus. 1180. n. 24. & seqq. Berlich. p. vii. i. conclus. 14. num. 30. & seq. Höpingk d. l. n. 245. & seq. Vid. supr. ib. 29. Si tamen plures ejusdem nominis, in contractibus, ultimis voluntatibus &c. ad confusionem tollendam addenda est dignitas, vel locus &c. Fr. Viv. d. Opim. 540. n. 13. In testamento caeci id necessarium, ut praefer nomina dignitates & judicia haeredum exprimantur. l. hoc consultissima. 8. circ. pr. C. qui testam. fac. poss. quod limitant DD si nomen sit singulare, cui in tota urbe simile non sit, quale Gallopressus, Azonis pedellus, cujus nomen nulli alij in civitate Bononiensi conveniebat: tum enim opus non esse alia descriptione. Castr. ad d. l. 8. Hartm. Hartm. ab Köpping tit. ult. Miscellan. cap. 1. obs. 6. n. 2. (10.) Nemo ita supinus, imò magis stultus invenitur, ut suum nomen ignoret. l. fin. C. de haered. insti. quanquam ob senectutem & morbum id evenisse in Messala testetur Plin. histor. Natural. lib. 7. cap. 24. in Georg. Trapezuntio Gothofred. add. l. fin. in voc. supinus. in Joh. Sleidano Dan. Vechnerus in Breviar. German. pag. 100. in Alberto M. Drexel. in Prodrom. Mortis cap. 3. §. 8.

LXI. (11.) Si negotium alicui commissum sub nomine proprio; delegatio ad successorem non pertinet; secus verò si id factum sub nomine dignitatis vel locorum. arg. c. quoniam. 14. ibiq. Gl. in voc. substitutum. X. de offic. deleg. Fac. Nov. 134. cap. 6. pr. Menoch. libr. 1. arbitr. question. 68. n. 21. Höpingk de jur. insign. cap. 21. n. 232. & seq. Nam priori casu dignitatis ratio fuit habita, quae non moritur. cap. si gratiosè. 5. de rescript. in 6. posteriori casu personae industria est electa. arg. cap. is, cui. 12. de leg. offic. de in 6. cap. fin. eod. quae non eadem in haeredibus. l. cujus. 9. vers. Multoq. ff. de curat. furios. l. inter artifices. 31. ff. de solut. Quid si utroque modo, & nomine proprio & dignitatis commissio facta? Et tum, si nomen proprium praecessit, illam ad successorem non pertinere, tradit Phil. Decius ad d. cap. 14. n. 45. & seq. de offic. deleg. Menoch d. l. n. 16. Fac. cap. mandato. 18. de praebend. in 6. (12.) Eodem modo si alicui

licui quid legatum respectu dignitatis, perpetuum est & ad successores transit; secus verò si ratione personæ. *arg. l. annua. 20. §. 1. & l. annuam. 6. ff. de ann. legat. cap. requisisti. 15. X. de testam. l. quod Principi. 56. & seq. ff. de leg. 2. Hartm. Hartm. d. iii. ult. Miscell. c. 1. obs. 5.*

LVII. (13.) Si hæres nominatim aliquod facere vel solvere iustus est, non commune, sed solius iusti & ejus proprium onus est. *arg. l. si hæredes. 124. l. turpia. 54. §. fin. ff. de leg. 1. l. nominatim. 90. ff. de leg. 3. Höpingsk d. l. num. 209. (14.)* si quis dicat: *Filium meum exheredo* & habet tantum unum; exhereditatio valet, tanquam nominatim facta. *l. 2. ff. de liber. & postb. pr. in fin. Inst. de exhered. liber.* Ergo si plures habet, nullus videtur exhereditatus: cum tamen, si quis plures habeat liberos & dicat: *Instituo filium meum*, censetur omnes instituisse. Nam nomen appellativum prolatum numero singulari, comprehendit omnes in materia favorabili, minimè verò in odiosa. *Castrenf. ad d. l. 2. in fin. Hartm. Hartm. d. cap. 1. obs. 6. num. 7. & seq. (15.)* Libellus, in quo nomen accusati non ponitur, non valet. *l. 3. ff. de accusat. can. ult. caus. 1. quest. 8. Felin. in cap. auditis. 15. n. 27. in fin. & seq. X. de prescription. Mynf. cent. 2. obs. 32. in fin.*

LVIII. (16.) Ita in obrinendis processibus contra heredes, tutores, auxiliatores, complices &c. necesse est vigore *O. C. part. 1. tit. 34. §. 10.* singulorum nomina specificari; neque tamen id necessum est, si plures sint confortes unius appellatio- nis, aut si plures concreditores jam in actis expressi. *Mynf. cent. 2. obs. 66.* Quod tamen hodiè secus se habet. *vid. Blum. in Proc. Cameral. tit. 64. de supplicat. th. 8. & seqq. (17.)* Tandem ex Nominibus nonnulli nescio quid colligunt. Nomen à Pontificibus assumptum ajunt esse fatalem; tot annos enim ut plurimum in gubernatione vivere, quot numeros contineat assumptum. *vid. Höpingsk d. cap. 21. num. 165.* Sed restè *Scaliger*, Magos nostros, qui ex nominibus victorias promittunt, morbos, interitum, quibus velint, sese allaturos jactant, certè arbitror insanire. Nomina imparium syllabarum ab imparibus ajunt superari. Idcirco Hæstor ab Achille interfestus est. Cur igitur Achilles Paridis cadit manu? Ita in Germaniâ, Phrysiâ, Brabantiâ prius, mox in Italiâ non potuerimà paribus syllabis superari: Ju-
lius

lius enim vocabar ibi; hinc vincor à trisyllabis, qui *tuller* à Gallis
dicor. in *Exercit.* 266. circ. fin.

*Ne charta vacua sit, subjungamus qua-
stiones ex factis agitatas.*

I.

Titius cum Ferrariâ Romam iret, animi gratiâ nomen muta-
rat, retentis tamen literis initialibus. Acceptâ tesserâ iti-
nerariâ, uti moris est, eadem sub poenâ triremium ca-
veri vidit, ne quis nomen in itinere illo mutaret &c. Quæ-
rebatur, An T. poenâ dignus? Neg.

II.

Mævius honestè ex Academiâ A. discedens H. in proxima ci-
vitate N. altero mane exspectabat cursum publicum ordi-
narium, uti convenerat. Sempronius ex d. Acad. clancu-
lum se proripuerat ob æs alienum infcio tamen Mævio, &
credebatur ad d. quoque locum iturus. Injungitur Ta-
bellario, ne quendam ex Acad. A. venientem assumeret.
Itaque abit insalutato Mævio: qui recognitâ extraordina-
riis impensis eum tandem in primâ statione cum reliquo
sodalitio assequitur. Quærebatur, An Mævius, se non
esse Sempronium, literis ad se datis, annulo signatorio &
albo Amicorum ritè probaverit? Aff.

Dilecte *Balbach!* Fallor, an meritò petis
dignum Laboris eruditi præmium?
Non fallor. Id quoq; promeretur candida
fides amorq; Patriæ promptissimus.
Quid ergò non tibi poteris promittere
à PRINCIPLE PIO, PATRE benigno PATRIÆ?

Suo Balbachio
Solemniter Disputanti
pos. gratulabandus


PRÆSES.

Strassberg, Diss., 1674-75

X2617022

VD 17







4.

1674/12

Q. B. V.
DISSERTATIO

Ad
L. unic. C. de mutat. nom.

quam
Divinâ adspirante gratiâ

PRÆSIDE
VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSVLTISSIMO,
& Excellentissimo,

DN. GERARDO von Stöffen /


U. J. D. ac Institut. Imperial. Prof. P.
Patrono & Præceptore suo singulari observantia cultu
æternum prosequendo,
defender

FRANC. RUDOLPH. BALBACH, Durlac.
Aut. & Resp.

Ad d. Martij hor. locog. solis.

ARGENTORATI,

Typis Johann. Wilhelmi Tidemanni, ANNO clc lxc LXXIV.



9 596

